



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...

Jaeger, Hermann Jaeger, Hermann

Bremen, 1727

urn:nbn:de:gbv:46:1-7596

BIBLIOTHECA

Historico - Philologico-

THEOLOGICA.

Classis Octavae

FASCICULUS SEXTUS.



BREMEN,

Sumptibus HERMANNI JAEGERI,

Typis HERMANNI BRAUERII, MD CCXXVII.

VIRO

*Summe venerando, doctis-
simo & celeberrimo*

JOANNI GE-
ORGIO LEUCK-
FELDIO,

In ecclesia GRONIN-
GENSIUM sacrorum Admini-
stro primario eique fidelissimo,
membris societatis regiae scien-
tiarum Berolinensis magno
suo merito adscripto,

Orbem literatum, Historiam præ-
cipue Germanicam ævi mediï inde-
fessa diligentia, plurimisque scri-
ptis valde demerenti
quotidie,

*Octavum hunc supra quadrage-
simum*

BIBLIOTHECAE

H V J V S

FASCICVLVM,

Tanquam cultus mei sin-
ceri atque infucatae amicitiae
& testem & pignus

LUBENS MERITO

ex antiquorum formula

D. D. C.

EDITOR.

Series

Series eorum, quae in hoc fasciculo
exhibentur.

- I. Samuelis BATTIERII Observationum in
N. T. loca Decas p. 941.
- II. *Anonymi* observatio Critica de ætate
conscriptionis libri JOSUAE p. 959.
- III. J. C. HARENBERGII Ros Hermonis
descendens in montes Sionis ex Pl.
CXXXIII. 3. p. 970.
- IV. Jo. STENGELII de duplici Christi sta-
tu indicato Es. LII. 13. Diff. p. 982.
- V. Theodori HASAEI ad præcedentem
dissertationem ANALECTA. p. 1002.
- VI. *Almonii Utinis* de aeternitate mundi mo-
destissima expositio p. 1028.
- VII. Pauli HACHENBERGII de *Labadista-*
rum statu epistola p. 1056.
- VIII. Index *quintuplex*
 - A. Dissertationum, & opusculorum clas-
sium *septimae & octavae* p. 1066.
 - B. Auctorum veterum tam Christiano-
rum, quam gentilium, qui in classi-
bus V. VI. VII. VIII. illustrantur, no-
tantur, emendantur p. 1073.
 - C. Vocum *Ebraicarum*, & ex linguis vi-
cinis illustratarum p. 1076.
 - D. Locorum scripturae explicatorum
p. 1078.
 - E. Vocum *Graecarum, Latinarum, Ger-*
manicarum, rerum, & Virorum pag.
1082.



In Nomine JESU!

I.

Observationum

ad N. T. loca

DECAS,

Sam. *BATTIERII,*

M. D. & Gr. L. Prof.

Basil.

§. I.

LUC. V. 21. τίς ἐστίν, ὃς λαλεῖ βλασφημίας; Rectius, ego locum istum puto sic scribi: τίς ἐστίν ὅτι, ὡς λαλεῖ βλασφημίας. Et sic gravis illa admirationo, quæ Scribas illos & Phariseos cepit, manifestius exprimitur. Non enim isti, quod D. JESUS esset qui loquebatur illa, ignorabant: tantumque conabantur exprimere, quod nescirent, quid sentiri

Class. VIII. Fasc. VI.

Qqq

de-

deberet de eo, qui blasphemias voces illas
ut existimabant, loqueretur: *Quis est iste?*
quam loquitur Blasphemias. (a) Hesych. v.
Ως. ex Homeri Il. δ. v. 157. Ως σ' εβαλον
τρῶες - - - docet esse θαυμασικὸν ἐπιρρημα,
adverbiū admiracionem indicans. Sic Ari-
stophanes adhibet in

Pluto 1. Ως ἀργαλέον πραγμ' ἐσιν, ὦ Ζεῦ
καὶ θεοί,

Δύλον γενέσθαι παραφρονῶντα δεσπότη,
Quam dura res est, o Jupiter & Dii ceteri,
Servum esse desipientis Domini!

§. 2. Joh. XIX. 5. Ἐξήλθεν ἔν ὃ Ἰησοῦς
ἐξῶ, φορῶν τὸν ἀκάνθινον στέφανον, καὶ τὸ πορ-
φυρῆν ἱματιον. καὶ λέγει αὐτοῖς Ἴδε ὁ ἀνθρω-
πῶ. Omnes quod sciam postrema versus
istius verba Pilato attribuunt: Sed cur
istud ita factum sit, nullam sane rationem,
quæ justa sit, videre possum: Si nihil aliud
sola profecta narrationis series monere nos
debit, quod ea potius ab ipso Salvatore
nostro pronuntiata sint. Et per Atticismum
hic, ὁ ἀνθρωπῶ, in recto casu, loco voca-
tivi ponitur, ut Ἴδε ὁ ἀνθρωπῶ, dicta sint,
pro Ἴδε ὦ ἀνθρωπε, *vide o homo!* Istud vero
sacris N. T. Scriptoribus non est insolitum.
Ipse Johannes cap. XX. 28. ὁ κύριός με καὶ
ὁ θεός

(a) Cum tamen & vulgaris lectio non incommodum
sensum exhibet, collatis præsertim Matth. IX. 3.
& Marci II. 17. malim eam retinere, quam codi-
cibus omnibus refragantibus aliam adducere, T. d. H.

ὁ Θεός μου, ponit pro, ὦ κύριε μου καὶ Θεέ μου,
o Domine mi, & DEUS mi! & in Apocal.
 XVIII. 4. Ἐξέλθετε ἐξ αὐτῆς ὁ λαός μου, *egredi-
 mini ex ea o popule mi!* Sic Marcus XV. 34.
 Ὁ Θεός μου, ὁ Θεός μου, εἰς τί με ἐγκατέλιπες,
Deus mi! Deus mi! cur me deseruisti? Sic
 Paulus Epist. ad Ephes. V. 14. ἔγειραι ὁ κα-
 θεύδων, *surge o tu qui dormis.* Ibid. 22. αἱ γυ-
 ναῖκες τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν ὑποτάσσεσθε, *o vos
 mulieres propriis viris subjicimini.* Ib. 25. οἱ
 ἄνδρες ἀγαπάτε τὰς γυναῖκας ἑαυτῶν, *Vos Viri
 diligite uxores vestras!* Sic & ibid. c. VI. 1.
 3. 5. & 9. Sic & Lucas XVIII. 13. ὁ Θεός
 ἰλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ, *O Deus sis propitius
 mihi peccatori!* & Actor. XIII. 41. ἴδετε οἱ
 καταφρονηταί, *Videte o vos contemptores,* sic
 quoque scriptores profani: Aristophanes
 Acharn. 154. οἱ Θεῶνες ἴτε δεῦρ *Vos Tora-
 ces procedite huc.* Et v. 241. Πρὸς ὧς τὸ πρόθεν
 ὀλίγον ἢ κωνηφόρε, *procede paulo ulterius tu
 qua cistam habes,* ib. 864. οἱ σφῆκες ἐκ ἀπὸ
 τῶν θυρῶν; *o vos vespa non ibitis ab ostio!* aliis-
 que pluribus locis. Ne quem vero quicquam
 fallat similitudo, quam iste loquendi modus
 prima specie videtur habere cum illo, qui
 apud Johannem mox versu 14. nostri capi-
 tis adhibetur, quando Pilatus ad Judæos di-
 cit: ἴδε ὁ βασιλεὺς ὑμῶν, & apud eundem
 cap. I. 29. Joannes Baptista, ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ
 Θεοῦ. Uterque profecto locus iste satis ut
 existimo vel Græci sermonis mediocriter

perito manifestare debeat, quod res hic aliter longe comparata sit. Articulus certe, ut de hoc saltem aliquid dicam, in utroque isto loco eam peculiarem vim habet, quam in illo, ἴδε ὁ ἄνθρωπος, esse firma ratione quadam nemo asseverabit. Vim autem istam, quæ rem per articulum ita designatam singulari quodam modo determinat, Latini per pronomen *ille* solent exprimere. *Ecce Rex ille vester. Ecce Agnus ille DEI.* Certe D. JESUS vulgo βασιλεὺς τῶν Ἰσραηλίων dicebatur, XVIII. 33. 37. eique ipsum istud crimini dabatur, Matth. XXVII. 11. 37. Joh. XIX. 21. Verus quoque Agnus ipse fuit, quem Paschalis ille præfiguravit. D. JESUM vero peculiariter ἄνθρωπον, hominem fuisse Judæis nominatum nemo unquam dixerit. Et certe Pilatus cum apud Joh. c. XVIII. 29. a Judæis de JESU quæreret non dicit, τίνα κατηγορίαν φέρετε κατὰ τοῦ ἀνθρώπου, sed κατὰ τὸν ἀνθρώπον τούτον; *ecquam accusationem fertis adversus hominem istum?* (b) Certum igitur prorsus est Dominum Jesum ista dicere: ἴδε ὁ ἄνθρωπος, *vide o homo!* Et profecto vix est aliquid in tota passionis D. N. JESU historia, quod movere magis nos, & in animos hominum omnium altius penetrare debeat, quam ista Salvatoris mundi dictio, qua Sanctissimus ille DEI Filius Judæos, & cum

iiis
(b) Pilatus tamen Luc. XXIII. 6. diserte Christum vocat τὸν ἀνθρώπον. T. d. H.

iis universum genus humanum, cum coronam spineam in cruentato capite suo portans, & purpuream indutus tunicam e Pilati prætorio egrederetur, fuit allocutus: *vide o homo!* sicque monuit, ut considerarent diligenter, semperque meminissent maximum illud admirandi amoris opus, quo salutem ipsis ex maxima peccatorum mortisque miseria comparavit: ut meminissent summas illas contumelias quibus esset affectus atque gravissimam ignominiam & opprobria quæ pateretur: utque meminissent acerbissimum illud mortis supplicium, ad quod mox erat ducendus.

§. 3. Act. I. 4. Παρήγγειλεν αὐτοῖς ἀπὸ Ἱεροσολύμων μὴ χωρίζεσθαι, ἀλλὰ περιμένειν τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρὸς, ἣν ἠκυσάτε μου. Verba, ἀπὸ Ἱεροσολύμων &c. non recte cum παρήγγειλεν αὐτοῖς, ita junguntur, ut tanquam orationem infinitam conficiantur ab isto, παρήγγειλε, regi existimantur: quod alias factum deprehendimus, ut Luc. VIII. 29, & 56. Act. X. 42. aliisque locis. Ut istud ita de hoc loco sentiam, faciunt voces, ἣν ἠκυσάτε μου, quæ manifestum Sacri Scriptoris, quem ab indirecto sermone ad directum instituit, transitum declarant. Non sane sermonis istius imperfecta & a reliquis separata portio sic apte convenienterque posita esse videatur: *præcepit eis ab Hierosolymis non discedere, sed expectare promissionem Patris,*

quam audivistis a me. Dico igitur quod hæc; παράγγειλεν αὐτοῖς, ab insequentibus separanda sint, ut ipsa quæ sequuntur ad Discipulos suos directas præcipientis Salvatoris voces comprehendere significetur: cum infinitiva τὸ, χωρίζεσθαι, & τὸ, ὤκειμένειν, usitatissimo Græcis more, loco imperativorum sint posita: ut sacer Historicus integrum Salvatoris præceptum sic exprimere cognoscatur: *ab Hierosolymis ne discedite, sed expectate promissionem Patris quam audivistis a me.* Similis isti prorsus alia Lucæ locutio occurrit quoque Actor. XXIII. 22. *ὡς ἀγγείλας, μηδὲν ἐκλαλήσαι, ὅτι ταῦτα ἐνεφάνισας πρὸς με, cum præcepisset, nemini eloquere, quod ista mihi significasti.* Hæc verò scribendi ratio non multum diversa est ab illa quæ apud Matthæum X. 5. adhibetur: *τούτους τοὺς δώδεκα ἀπέστειλεν ὁ Ἰησοῦς ὡς ἀγγείλας αὐτοῖς, λέγων· εἰς ὁδὸν ἐθνῶν μὴ ἀπέλθῃτε καὶ εἰς πόλιν Σαμαρειτῶν μὴ εἰσέλθῃτε, istos duodecim misit Jesus cum præcepisset eis, dicens: in viam gentium ne abiveritis, & in urbem Samaritanorum ne intraveritis.* Imperativorum autem loco infinitiva ponere non est res aliqua, quæ Sacris N. T. Scripturis tam inusitata sit & incognita. Apud Lucam IX. 3. *μηδὲν αἶρετε εἰς τὴν ὁδόν, - - μήτε ἀνα' δύο χιτῶνας ἔχειν, scribitur ἔχειν pro ἔχετε.* D. Paulus ad Rom. XII. 15. dicit: *χαίρειν μετὰ χαιρόντων καὶ κλαίειν μετὰ κλαίόντων, gaudete cum gaudentibus, & flete cum flenti-*

stentibus. Sic quoque 2. Tim. II. 14. quæ male vulgo sine interposita distinctione cum antecedentibus conjunguntur, μή λογομαχεῖν, cum posita sint pro, μή λογομάχει, *non contendere verbis*, ut recte Vulgatus. Frequentissime vero profani scriptores ubique sic loquuntur, ut vix necesse videatur, aliquid ultra proferre: en tamen quædam exempla: Homer. Od. θ. v. 434.

Ἄμφι πυρὶ σῆσαι τρίποδα - - *Ad ignem ponite lebetem.*

Od. λ. 72. Μή μ' ἄκλαυτον, - - *καταλείπειν, ne me indefectum relinque.* Od. π. 132.

Ἄντ' ἐγὼ μένω, σύ δὲ δεῦρο νέεσθαι,
Ast ego hic manebo, tu vero huc redi.

Hesiod. ἐργ. 407.

χεῖματα - - ποιήσασθαι, *instrumenta parato.*
Ibid. 410. μηδ' ἀναβάλλεσθαι - - - *Neque differto.*

Pythag. Aur. Carm. v. 40.

μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι,
Neque somnum in teneris oculis admitte.

§. 4. Act. XXVII. 17. φοβέμενοί τε μή εἰς ἴην Σύβην ἐκπέσωσι &c. & 29. φοβέμενοί τε μή πῶς εἰς τραχεῖς τόπους ἐκπέσωσιν, ἐκ πρύμνης ρίψαντες - - *Cum in utroque loco extent duo participia quæ per nullam conjunctionis particulam nexa sint, observari debet, quod utrobique τὸ, φοβέμενοι, per*

Atticam Dialectum sit absolute positum pro genitivo, φοβημένων, *timentibus*. Ista vero loquendi ratio apud profanos Scriptores non adeo rarenter usurpata reperitur. Hom. II. α. v. 171. Ἐνθάδ' ἄπμϙ ἐὼν, pro ἀπίμκ εὐόντος. Thucyd. lib. I. pag. 27. Ed. Jo. Camerar. apud Hervag. εὐ δὲ ᾠδραχών, pro εὐ δὲ ᾠδραχόντϙ, δηλονότι τῷ δαίμοντϙ, ὃ ἔστι, δωρησαμένης αὐτοῖς τὴν νίκην, ut Scholiastes illud explicat. Xenoph. Inst. Cyri Lib. VI. ἑκάστος πρὸς φοβημένης καὶ πρὸς τῶν οἰκῶν, pro ἑκάστου πρὸς φοβημένου. Euripid. Iphig. in Taur. v. 695. Σωθεῖς, & κλησαμένης, pro σωθέντϙ & κλησαμένου. Pausan. Attic. cap. XXIV. εἴτε αὐτοῖς ὄμβρε δέησαν Ἀθηναίοις, εἴτε καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι συμβαῖς ἀνυχοῖς, pro, δέησαντϙ, & συμβάντϙ ἀνυχοῦ. Quod ad posteriorem versus 29. locum attinet, existimo lectionem illam, ἐκπέσωμεν, quam loco τοῦ, ἐκπέσωσι, multi certe & præstantissimi MSS. Codices cum Vulgata Lat. exhibent, genuinam esse, cum credibilis omnino videatur, quod τὸ, ἐκπέσωμεν, in versu 29, primitus a Luca scriptum, & ex versu illo 17. in ἐκπέσωσι mutatum fuerit, quam quod τὸ, ἐκπέσωσι, cum in utroque loco primigenium esset, in versu 29. multorum præstantium Codicum ita in τὸ, ἐκπέσωμεν, transierit.

§. 5. 2. Corinth. VII. I. Ταύτας ἔν ἔχοντες πρὸς ἐπαγγελίας, ἀγαπητοὶ, καθαρίσωμεν ἑαυτοὺς
 αὐτῶν

ἀπὸ πάντος μόλυσμῶς σαρκὸς, καὶ πνεύματι,
 ἐπιτελοῦντες ἀγωνίαν ἐν φόβῳ Θεοῦ. Quis ob-
 secro recte locum istum examinans Paulum
 ita scripsisse putet, ut τὸ, πνεύματος, cum τῷ
 σαρκὸς, conjunctum separarit a sequentibus?
 Sacra profecto scriptura nullum novit aliud,
 quam carnis inquinamentum. Caro autem
 sic non *corpus*, ut distinctum est a principio
 cogitationum, anima hominis, sed impu-
 rum illum *antiquum hominem*, designat. Hæc
 caro est, quam crucifigendam esse docemur,
 Galat. V. 24. & cujus membra super terram
 mortificanda sunt. Coloss. III. 5. Hæc certe
 caro per turpissima sua opera, quæ Paulus
 in Ep. ad Gal. V. 19. 20. 21. recenset, omnem
 in homine turpitudinem & foeditatem effi-
 cit: cum nullum sit inquinamentum aliud
 quod hominem inquinet, quam istud, ut ipse
 sanctissimus Mundi Salvator Matth. XV. 11.
 17. 18. 19. 20. abunde nos docet. Ab istis
 sane fordibus, ab isto carnis inquinamento,
 hominem ita abominandum, ita Deo ad-
 versum facit, Rom. VIII. 7. 8. diligenter
 mundare nos ex monito Pauli, purosque
 conservare debemus. Quisquis ab ista car-
 ne, ab ista impuritate per gratiam J. Chri-
 sti mundus factus est, novus is homo est,
 conditus secundum Deum Eph. IV. 24. &
 Spiritus est: quicquid enim ex spiritu est
 generatum, spiritus est, Joh. III. 6. & spiri-
 tu ambulat, nec concupiscentiam carnis

perficit, Gal. V. 16. Illa igitur distinctio, quæ in nostro loco vocem, πνεύματ^ο, à frequentibus separat, tolli atque post antecedens, σαρκὸς poni debet, ut verba, καὶ πνεύματ^ο, cum ἐπιτελῶντες ἀγαπῶσιν conjungantur, sic: ἀπὸ παντὸς μολυσμῶ σαρκὸς, καὶ πνεύματ^ο ἐπιτελῶντες ἀγαπῶσιν, ut D. Paulus dicat: *talia igitur cum habeamus promissa, dilecti, mundemus, (conservemus) nos ipsos ab omni inquinamento carnis, etiam spiritus perficientes sanctitatem in amore Dei. Diligentem profecto fideles operam dare debent semper ut admonitionem istam Pauli vigilanter sequantur: ne post carnem in cupiditate impuritatis incedant, 2. Petr. II. 10. Sed potius omni prosequantur odio maculatam illam a carne tunicam, Judæ v. 23. Ut ab omnibus impuræ carnis sordibus magis & magis liberati sanctimoniam spiritus in dies singulos perficiant. Præcidenda est omnis ista caro. Circumcisionem vero istam humana manus non efficit, Coloss. II. 11. sed Christi gratia operatur. Ab impura carne a sordibus peccati mundatus ita verus Christi fiat discipulus, ne sordes carnis unquam repetat, nec illis implicandum se denuo tradat, ne fiat, κύων ἐπιστρέψας ἐπὶ τὸ ἴδιον ἐξέρομα καὶ ὡς ἀξασμένη, εἰς κύλισμα βορβόρος, *canis reversus ad suum vomitum, & sus lota ad volutabrum* 2. Petr. II. 20. & 22. impollutum se purumque posthac à carnis sordibus conseruet, sicque spiritu serviens Deo, Phil. III.*

III. 3. semper, ut proficiat, studiose laboret. Nequaquam vero somnolenti cujusdam hominis est, & laborem fugientis, istud efficere: fortissimi militis instar, qui adversus infestissimorum hostium vim atque impetum in armis suis patienter excubans vigilat, in hoc negotio se fidelem gerere debet. Nec subitum quoddam opus est istud: crucifigenda caro est vetus Rom. VI. 6. lenta crucis morte conficiendus est homo: nec ipse novus homo in perfectum statim virum evalescit: debilis ille primum puerulus est, & incrementum continue debet accipere: debet sanctitatem Spiritus perpetim homo pius perficere, nec unquam bonum istud opus intermittere, sed semel incoeptum continuato studio usque persequi usque ad diem J. Christi Philipp. I. 6.

§. 6. 2. Cor. XIO. ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν σπέρμα τῷ σπείροντι, καὶ ἄρτον εἰς βρώσιν χορηγήσαι, καὶ πληθύναι τὸν σπῆρον, ὑμῶν -- II. Ἐν παντὶ πλεσιζόμενοι --- Locum sic distinguendum esse puto: σπείροντι καὶ ἄρτον εἰς βρώσιν, χορηγήσαι καὶ πλ. ut τὸ, ἐπιχορηγῶν, etiam ad verba, ἄρτον εἰς βρώσιν, referatur, & τὸ, χορηγήσαι, simul cum τῷ, καὶ πληθύναι, cum sequentibus conjungatur: *Is autem qui suppeditat semen seminanti & panem in cibum, suppeditet & multiplicet sementem vestram.* Non sane D. Paulus suis Corinthiis panem hic in cibum optat. Nisi cognovisset, quod a rebus ad vitam necessariis illi satis essent instructi, non instare tan-

tantum & urgere voluisset, ut Corinthii Hierosolymitanorum fidelium paupertati subvenirent, & sic æqualitas fieret, illorumque copia defectum istorum suppleret, 2. Cor. VIII. 12. 13. 14. Optat Paulus ut Deus lautam Corinthiis, copiosamque benignitatis sementem, quam in pauperes spargant, suppeditet, ipsorumque fructus justitiæ augeat: Corinthii largiter & prompte suam cum Hierosolymitanis fidelibus benignitatem communicare velint. Mox autem quod sequitur, τὸ, πλητίζομενοι, absolute in recto casu pro obliquo πλητίζομένων positum est, de qua re vide supra ad Observ. IV.

§.7. Eph. IV. 16. Ἐξ ἧ πάν τὸ σῶμα --- ἐν μέτρῳ ἕνος ἐκάστῃ μέρῃ τὴν αὐξήσιν τῆ σῶμα ποιῆται. Istud τῆ σῶμα, nequicquam hic positum est, ut adeo, quin ex suo in quem ita præter rationem invasit loco rursus ejici tuto possit nullum mihi existat dubium. (c) Ex

mar-
 (c) Mihi vero, quod pace Viri eruditissimi dixerim, nullum existit dubium, illud τῆ σῶμα omnino esse retinendum. Immo sine illa voce sensus fere hiulcus est. Quisquis enim textum ipsum inspexerit, videbit, nimis longe remotam esse vocem αὐξήσιν a voce σῶμα, quam ut ad eam spectare quis illico sine ulla hæsitacione colligat. Et cum id innuere vellet Apostolus collectionem singulorum membrorum constituere incrementum corporis, non solum τῶν μερῶν, sive μελῶν (id enim perinde

margine enim , in quem fortassis illud ali-
 quis ut verba, ἐνὸς ἐκάστω μέρει , explicaret,
 atque ejus rei pars seu membrum hic in-
 telligendum esset, indicaret, primo posuit,
 in ipsum textum ab imperito tanquam utile
 receptum fuisse puto. Nec istud hic silen-
 tio prætermittendum est, quod Alexandri-
 ni Codicis, aliorumque probatissimorum
 lectio, quæ pro voce, μέρος, nobis τὸ, μέρος
 exhibet, mihi maxime probetur: cum D.
 Apostolus ita potissimum singulos fideles
 corporis Christi μέλη, membra, soleat ap-
 pellare: sic Rom. XII. 5. οἱ πολλοὶ ἐν σώματι
 ἑσμεν ἐν χριστῷ· ὁ δὲ καθ' ἕνα, ἀπὸ μέρους μέλη, mul-
 ti unum corpus sumus in Christo: singuli autem al-
 ter alterius membra. Et 1. Cor. XII. 27.
 ἡμεῖς δὲ ἐστέ σῶμα χριστοῦ, καὶ μέλη ἐκ μέρους, vos
 autem estis corpus Christi, & membra particu-
 latim, i. e. singuli.

§. 8. 1. Thess. V. 8. ἐνδυσάμενοι θώρακα πί-
 στως καὶ ἀγάπης, καὶ περικεφαλαίαν, ἐλπίδας
 σωτηρίας. Sic omnes. Ego vero sequentem
 ad modum esse distinguendum & scriben-
 dum puto: πίστως, καὶ ἀγάπης περικεφαλαίαν
 ἐλπ. σ. induti thoracem fidei, & charitatis ga-
 leam spem salutis. Ut sic etiam illud
 καὶ, quod inter τὸ, ἀγάπης, & τὸ, περι-
 κεφαλαίαν, locum occupavit, omittatur.

Spes

inde est, cum μέλη corporis sint ejus μέλη, & vi-
 cissim) sed & ἰσσωματικῶς injicienda erat mentio,
 T. d. H.

Spes sane salutis simpliciter ita non potest hominis credentis galea dici. (d) Cum mul-
ti

(d) Illius autem adserti rationem nullam video. Fa-
teor non solum posse multos calamitose falli, exi-
stimantes omnia secum feliciter agi, modo salutem eter-
nam per Christi meritum fidenter sperent, de reliquo
parum solliciti. Neque posse tales falli, sed & falli
ita quotidie complures misere, utinam negari pos-
set. At hoc loco non agitur de ejusmodi vanâ,
lubricâ, incertâ spe, quæ *est alit & fallit*, sed de
firmâ, & solidis, atque inconcussis innixâ funda-
mentis, quæ *confixa Deo nunquam confusa recedit*.
Fulcitur illa ab una parte promissionibus Dei, men-
tiri nescii, cujus beneficia sunt *αμεταμελητα*,
quas ille jurejurando confirmavit, adeoque ejus
veracitate, fidelitate, immutabilitate, omnisuffi-
cientiâ, qua *potest*, & benignitate, quâ *vult da-
re* peccatori omnia, quæ ad ejus salutem conse-
quendam requiruntur. Ab altera parte autem spes
illa firmatur, quando homo in se deprehendit illas
conditiones, quibus aeternam felicitatem Deus an-
nectere voluit. sc. fidem & sanctificationem, sive
πισιν δι' ἀγάπης ενεργουμένην, aut, ut apostolus in
hoc loco loquitur, *πισιν η̄ ἀγάπην*. Haec si ad-
sunt, tum spes falli nescia inde nascitur, quæ
καταχυνει Rom. V: 5. quâ *καυχόμεθα*
Rom. V: 2. quam *ὡς ἀγκυραν ἔχομεν ἴης ψυ-
χης ἀσφαλῆ τε καὶ βεβαίαν, καὶ εἰστροχουμένην
εἰς τὸ ἔσωτερον ἰδὲ καταπετάσματος*. Ebr. VI:
19. 20. quâ adeo *ἔσωθημεν*, *salvi finis* Rom. VIII:
24. Et ea illa omnino est, quam Apostolus heic in-
nuit, quam *ἴη πιστι, καὶ τῇ ἀγάπῃ* tanquam fru-
ctum ex illis propullulantem, subjungit, sicut
&

ti sic calamitose falli possint, existimantes omnia secum feliciter agi, modo salutem æternam per Christi meritum fidenter sperent, parum de reliquo solliciti. Charitas, ἡ ἀγάπη, profecto sola salutis nostræ spes est. Sine charitate hac nullus usquam ullam salutis certam spem habere potest: hac sine frustra sunt, aut vere non sunt cætera omnia, 1. Cor. XIII. 1. & sq. Ut merito galea, cum potissimæ corporis humani partis tegumentum sit, de hac virtutum Christianarum omnium præstantissima, charitate, quæ sola cum fide conjuncta spiritua-lem hominis vitam ab omni periculo muniat, dicatur. Quod vero vocem ἐνδύσασθαι de capitis etiam tutamine, galea, Paulus adhibet, neminem offendat. Homerus non dissimili modo de Achille, cum armis ille se a Vulcano fabrefactis ad pugnam instrueret, loquitur. Il. τ. 368.

Δίσετο δῶρα θεῶν, τὰ δὲ Ἡφαιστὸς κάρτε τεύχεων
*Induit dona Dei, quæ ei Vulcanus elaboravit
 fabricans.*

Inter hæc vero dona etiam galea comprehendebatur, ut ex Il., 610. patet. Et Paulus

& alibi hæc tria πίστιν, ἀγάπην, ἐλπίδα conjunxerat, ita hæc quam commodissime cum galea, potissimæ corporis humani partis tegumento comparat, quam & Eph. VI. 17. sub nomine τῆς περικεφαλαιῆς ἰσσωτηρίου reliquæ πανοπλιᾶς τοῦ θεοῦ adjunxerat. T. d. H.

lus ipse ad Eph. VI. 11. de universa armatura, quæ & galeam complectitur, loquens dicit, ἐνδύσαθε τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ.

§. 9. 2. Tim. III. 11. Τοῖς διωγμοῖς, παθήμασιν, εἰὰ μοι ἐγένετο ἐν Ἀντιοχείᾳ, ἐν Ἰκονίῳ, ἐν Λύστροις. οἷς διωγμὸς ὑπήνεγκα. Post τὸ παθήμασιν ego punctum esse ponendum puto, cum ea quæ sequuntur ad illa priora non pertineant. Istitis autem Paulus magnam animi sui vehementemque commotionem, qua singularem Domini benignitatem erga se ipsum miratur, demonstrat. *Qualia mihi acciderunt in Antiochia, in Iconio, in Lystris! quales, quam graves, persecutiones sustinui! & ex omnibus me liberavit Dominus.* Similiter apud Ælian. V. H. lib. II. 9. *Οἷα ἐψηφίσαντο Ἀθηναῖοι καὶ ταῦτα ἐν δημοκρατίᾳ, quæ decreverunt Athenienses idque in Democratia! & apud Æsopum miratur vulpecula fab. II. ὡς οἷα κεφαλὴ, καὶ ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει, οὗτοσδε σαρμ, & cerebrum non habet!* Illud δὲ autem quod mox vers. 12. apud Paulum sequitur, positum est pro δὴ, sane, certe: καὶ πάντες δὲ, & omnes certe.

§. 10. 1. Petr. IV. 6. *Ἔτις τοῦτο γὰρ καὶ νεκροῖς ἐκηγγελίθη, ἵνα κερθῶσι μὴ κατὰ ἀνθρώπων σαρκί, ζῶσι δὲ κατὰ Θεὸν πνεύματι.* Cum nullus Interpretum quos quidem vidi, sensum loci recte mihi expressisse videatur, quid de eo sentiam breviter docebo. (e) Quin au-

tem
(e) Quid de hoc obscurissimo loco, ejusque allata heic

tem aliqua locus corruptela, quæ sanari debeat, affectus sit mihi non est dubium. Cum enim is non modo nullum nominandi casum, qui vel cum verbo *εὐηγγελίσθη* vel etiam cum *κρηθῶσι* commode jungi possit, ostendat, sed etiam cum antecedentibus male prorsus cohæreat, ut simul utrique incommodo consulatur, scribo: *eis τούτο γὰρ καὶ νεκροὶ εὐηγγελίσθησαν.* Quæ certe phrasis admodum sacris scriptoribus probata est. Matthæus eam c. XI. 5. usurpat: *καὶ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται, & pauperes evangelizantur. i. e. καὶ πτωχοῖς εὐαγγελίζεται, pauperibus evangelium prædicatur.* Et Paulus ad Hebr. IV. 2. *καὶ γὰρ ἐσμεν εὐηγγελισμένοι, καθάπερ καὶ κείνοι, nam & nos sumus evangelizati, quemadmodum & illi.* Et ibid. v. 6. *οἱ πρότερον εὐαγγελισθέντες, qui prius fuerunt evangelizati.* Ut vix ulli superesse possit dubium, quin illud, *νεκροῖς εὐηγγελίσθη*, margine tantum, ut obscuram quidam magis, sed nativam & sacris scriptoribus probatam locutionem istam, *νεκροὶ εὐηγγελίσθησαν*, interpretaretur, primo positum, & tandem in ipsum textum fuerit profectum. Locus igitur si scribatur ut dictum est, mirifice cum iis quæ ipsum antecedunt, congruere deprehendetur, & simul omnem illum finem, propter quem Evangelium de Jesu Christo hominibus unice fuit prædicatum exprimit: Sensus autem est iste.

Class. VIII. Fasc. VI.

R r r

Pro-

heic mentione sententiam peculiare segmentum hujus bibliothecæ mox indicabit. T. d. H.

Propter istud enim etiam mortui fuerunt evangelizati, (i. e. mortuis fuit evangelium prædicatum,) ut censerentur (numerarentur, haberentur) quidem inter homines carne, (i. e. per hanc præsentis vitæ naturalem conditionem,) viverent autem secundum Deum Spiritu: Isti ergo νεκροὶ, mortui, sunt illi omnes, qui per Christum nondum sunt per regenerationem ad novam vitam suscitati: de quibus Salvator Joh. V. 25. Et vocis κερθῆναι ea significatio est in loco nostro, quæ apud Thucydidem Lib. II. in illa celebri oratione Periclis p. 43. Ed. I. Cam. Herv. κερθῆσαι δ' αὖ τὴν ψυχὴν δικαίως κερθῆεν, οἱ τὰτε θανάτου καὶ ἡδέα σκεψάμετα γινώσκοντες, καὶ δια τῶν τε μὴ ἀπετρεπόμενοι ἐκ τῶν κινδύνων, fortissimi & optimi merito censeantur, & qui adversa & jucunda rectissime cognoscentes, ne utquam eapropter pericula aversantur, & ab eis refugiunt. Mortuis profecto per peccatum hominibus, qui sine Deo & sine Christo sunt, evangelium annunciatur, ut a morte sua suscitati, posthac non carni suæ, non mundo, non desideriiis suis, sed Deo vivant, Rom. VIII. 4. 6. Sic fit ut tales non sint inter homines nisi solo corpore suo censendi, nec tangantur in animo suo rerum temporalium cura, & præsentibus sint in hac terra suo quidem corpore, jugiter autem animo cœlestem patriam desiderent, & cœlestibus indefinenter inhiantes, secundum Deum vivant. II.

Anonymi

*Observatio critica de ætate
conscriptionis libri Josue.*

SYNOPSIS.

§. I. Notatur impietas critica Spinozæ & Simonii. §. 2. Josua, exceptis c. XXIV. v. 29. sqq. libri, qui Josue inscribitur, auctor est ipse. §. 3. Quod ipsum ulterius probatur ex c. VI. v. 25. §. 4. Objectiones difficiliore solvantur. §. 5. Recentissime crisi, quæ antiquissima quæque scripta in anigmata & symbola convertit, occurritur. §. 6. Respondetur ad omissam adlegationem hujus libri in V. T.

§. I.

Subtristis & justo audacior fuit illa Spinozæ & Richardi Simonii sententia critica, qua ille in *Tractatu Theologico-Politico* c. 8. 9. librorum V. T. primorum ætatem ad Efram & pleniorum elaborationem ad Maccabæorum tempora rejecit; hic in *Historia critica* V. T. scribas publicos & confusionem voluminum statuminare contendit, unde Moses, Josua & ceteri Pandectarum veterum sacrorum scriptores ad Esræ ætatem in hodiernam formam fuerint redacti. Conlaudandi sunt

Joannes Clericus & Elias du Pinus, (a) qui ausis illis nefariis publice obviam ivērunt. Illius enim impietas in propatulo erat; hujus vero Rabbini amor, judicio solido expers, nocentissimus videri poterat. Eximia sane antiquitate & singulari fulget divina veritas & cœlestis doctrinæ origo, tam quantum ad doctrinas, quam quoad ejus ad scripta publica, pertinet. Si distinctis litterarum ductibus Patriarchæ uti novissent, non opus sane fuisset miraculo, quo Deus primas fœderis tabulas faxis insculpfit. Prima igitur gens, quæ distinctis facilibusque signis suas res gestas & revelationes adnotare polluit, fuit Ebraica, quæ, ne perirent, ea quæ Patres memoriæ signisque diffusioribus ac difficilibus mandata ad Mosē transmiserant, prima monumenta condidisse existimanda est. Vera revelatio omni ævo debuit esse perspecta, quia benignitas divina noluit viam ad summi boni fructus percipiendos intercludi, adeo ut constans veritatis divinæ antiquitas non possit a religione unica & vera separari, nisi Deum velis crudelitatis accusare. Simul etiam revelatio vera semper debuit persistere inconcussa & immutabilis, minimeque eam oportuit facta librorum profanorum, quibus edax & con-

(a) Dans *Dissertation préliminaire sur les Auteurs des Livres de la Bible* T. I. de la *Nouvelle Bibliothèque des Auteurs Ecclesiastiques* ed. tert. d. l. p. 39. 40.

confumtrix rerum vetustas ac vicissitudo modo ruinam, modo mutilationem & nutantem interpolationem intulit, experiri. Deus enim semper voluit mortales de via salutis esse certos.

§. 2. Eadem me impellit ratio, ut librum, qui Josuæ, inscribitur, antiquissimum esse putem, sive a sua ut plurimi putant, sive ab alio, ejus jussu, Numine ducente, fuerit perscriptus. Addidit quidem aliquis Josuæ mortem c. XXIV. 29. seqq. sed id libro reliquo nullum creat damnun. Ut enim Deus illa, quæ de Josuæ obitu per texta sunt, prædicere potuit, ita tamen, quia citra tale miraculum, cujus exhibendi Deus non solet esse prodigus, subnotari ea poterant, Deum id voluisse haud facile concesserim. Nec de eo me habet dubitatio, quin Josua caput XXIV: ad v. 28. perscripserit, siquidem illud evidenter patescit e v. 26. *Et Josua scribebat את הדברים האלה בתורת אללים* *res illas juxta legem Domini* i. e. Pentateuchum, Nolit igitur quispiam de eo hæsitare, quod Pentateuchus jam tum scriptus sit, quippe qui ubique *legis divine* adpellatione venit. Erat vero insulsum maxima admissa lacuna particulam Josuæ rerum gestarum addere, unde indicatu facile est, reliquum Josuæ librum simul fuisse volumini vel potius diversis voluminibus mandatum. Absit ea cogitatio, ut volumina illa confusa & permista esse dicere audeamus, quæ revelatio-

nis & veritatis divinæ non exiguam consti-
tuerunt partem, cujus nullam partem po-
steris necessariam divina clementia, sancti-
tas & veritas intercidere voluit. Nec de
auctore Josua litem moverim, quia is opti-
me sua pertexere noverat & partem ulti-
mam inconcinne Mosi adjunxisset, omiſſa
priori & maxima parte, tantum abest ut hæ-
ſitatio Du Pinii (b) penes me ullius ſit mo-
menti.

§. 3. Illa ipſa antiquitas libri Joſuæ ſuis
radiis effulget, ſi expendamus illud, quod
c. VI. v. 25. perhibetur, *ραβὴν* Rahab habi-
taſſe in Iſraelitide *ad hunc diem*. Ecquis
enim ea eſt fronte, ut contendat, copam
illam vitæ ſpatium ad aliquot ſecula proro-
gaſſe? Non ſolebant tum mortales ad cen-
tum annos vitam agitare, & id gratiæ di-
vinæ erat tribuendum, quod Joſua & Caleb
in promiſſionis divinæ robur ultra centum
annos degerent. Ea ſaerarum litterarum
eſt claritas, ut nos ſemper ducat volentes
in ſolutionem ejus ſcrupuli, qui nos ange-
re poterat. Quod ſi vero per fictionem ſe-
cutæ ætatis ſplendorem illum exiſtumes in-
terjectum eſſe divinæ revelationi, eam pro
impoſtura habes, quæ longiſſime diſjuncta
eſt a vera revelatione, quam neceſſario ex-
ſtare oportebat. Nulla vero ſcriptura præ-
ter

(b) l. c. p. 39. *Ainſi l'on peut ſans temerité douter, que
Joſué ſoit l'auteur de ce Livre.*

ter hanc signis credibilitatis divinæ radiat, ergo ea sola & unica, quia Deus nos fallere non potest, revelationis divinæ instar est & clypeus. Non carere cuperem hoc solatio & solido fundamento, licet id divitiis totius orbis permutare valerem. Animæ enim meæ immortalitas & sempiternum ac infinitum felicitatis immensæ desiderio nulla alia inlecebra exsatiari ac restringi potest.

§. 4. Interim illud tamen verum est, quod prolixitatis ratio, quam hodie obtinet liber Josuæ, sit paullo infra ætatem Josuæ. Volumen enim illud mortem Josuæ continet. Deinde legitur Jos. XV. 63. *At Jebuseos illos, qui incolebant Hierosolymam, non valebant posterius Juda expellere, ac habitabant Jebusæi cum filiis Juda Hierosolymam ad hunc usque diem.* Quando enim ita contigit? Nonne tribus Juda ab obitu Josuæ Hierosolymam demum occuparunt? Nonne id distincte scriptum est Jud. I. 8? Verum enimvero nequaquam hinc conligi potest, ut prima fronte videtur, incisum 63. capiti XV. Josuæ ab obitu ejus intrusum esse. Ego sane nil deprehendo in omni Josuæ volumine, quod, excepta ejus morte & sepultura, non fuerit perscriptum a senescente Josua. Foris additamentum mutavit externam, nec præterea quicquam est vel additum vel immutatum. Ut enim ad cap. XV. v. 63. me

accingam, ejus expositio ex cap. XII. 7. 10. adposite repetitur, ubi rex Hierosolymæ fufus ejusque regio Israëlitis adtributa legitur. Adde quod Jos. XVIII. v. 28. Hierosolyma seu Jebus Benjaminitis adsignetur, licet sita esset in tribu Juda, unde ego omnem illam controversiam solvo, quæ de adsignatione hujus urbis ad duas illas diversas tribus ventilari solet. Si igitur recordemur, Hierosolymam fuisse geminam, quod ipsum forma dualis & res ipsa docet, Acram (אקרא) Israëlita occupasse censendi sunt, dum Jebusæi Zionem retinere, quam quidem Juda combussit Jud. I. 8. sed a Jebusæis reedificatam expugnavit demum Davides. Quæ Jos. XIII. 13. & XVI. 10. leguntur, ad ultimam Josuæ ætatem optime quadrant, ultra Davidica vero tempora pro veris haberi non possent, quia & Maachath & Cananæi tum omni potestate plene fuerunt exuti, Judæisque subjecti sunt. At restat scrupulus major, qui utique nobis persuadere videtur, nonnulla esse in libro Josuæ, quæ a recentiori manu sint intrusa, videlicet Jos. XIX. 49. tradita oppidi Lesem per Danitas expugnatio, quæ demum Jud. XVIII. contigisse traditur. Du Pinus hunc nodum magis fecit quam solvit, nam aut in utroque loco diversam urbem memorari aut interpolationem manifestam agnoscit. (c) Qui utrumque

(c) l. c. p. 40. col. 1. On pourroit encore répondre à

que locum confert, de eadem re verba fieri, præcipue ex Jud. XVIII. 27. 29. facile pervidet. Atque in promptu est solutio eaque adprime prona. Josuæ ultima ætate illa expugnatio accidit, ideoque suo jure ab eo est perscripta, immo antequam forte eis certa adsignata esset possessio Jud. XVIII. 1. Ultima enim libri Judicum capita primum ejusdem caput, secundum chronotaxin, præcedunt. Paulo enim post ea usu venerunt, quæ in Pontificatum Pinehasi, Eleasar filii, incidunt Jud. XX. 28. quæ capite XIX. v. 1. connectuntur cum facto Danitarum per formulam **ההם בימים** *in diebus illis*. At ille Pinehas vivo adhuc Josua patri successit, uti liquet ex Jos. XXII. 13. 30. 31. 32. Additur quidem Jud. XVIII. 1. **בימים אין מלך בישראל** *tempore illo non erat Rex in Israele*. Sed quid hoc contra nos? Lata enim Judæis erat lex de rege per Mo- sen, adeo ut illum sperarent, Josua vero nusquam dicitur **מלך** Rex. Sunt qui ajunt, in Josua memoriam *Cabuli* injici c. XIX. 27. quod tamen ita demum dictum fuerit ab Hiramio, 1. Reg. IX. 13. At *Cabul* Josuæ est op-

Rrr 5

pi-

cet argument & aux suivans, que ces choses sont ajoutées & cela est fort vraisemblable de la prise de Lesem par les Danites, à moins qu' on ne dise, que la ville de Lesem; dont il est parlé dans Josué, & celle de Laïs, dont il est parlé dans le livre des Juges, sont deux villes différentes.

pidum, uti Josephus quoque testatum fecit, *Cabul* vero Hiramii erateikosipolis, cœtus viginti urbium. At quid dicemus de montibus Israël Jos. XI. 16. & divisionis inter Judam (d) & Israël v. 21? Nonne illa divisio sub Davide demum orta est? Israël sane totum populum Judaicum notat. Estimandum est, *Judam* signare tribum Judæ maximam & illustrem, Israël vero Ephraimitas potissimum & septemtrionales Judæos. Exemplum equidem ejus rei ex libro Judicum depromi nequit. Sunt tamen *μωαδιναι* & singularia, quæ exceptionem a regula generali ferme ubique pariunt. Quæ de Hebrone objiciuntur, sunt nullius momenti Jos. XIV. 14. Memoratur quidem I. Paral. II. 42. nepos Calebi Hebron, *אבי חברון* Masera. Sed *Chebron* est & nomen urbis & viri, qui in memoriam receptæ Chebronis fortasse ita dictus est. Quid inde?

§. 5. Vereor quidem, ne Vir quidam ingeniosissimus insurgat, & ultra exilium Babylonicum profam orationem locum invenire neget, ideoq; Josuæ librum, prout quidem nunc adparet, ad recentiora revocet tempora

(d) Du Pinus respondisset, inserta heic esse quædam a manu recentiori. Ipse enim T. I. l. l. c. pag. 44. col. I. *Il y a plusieurs ouvrages, où il s'est glissé quelques additions, qui les font paroître plus nouveaux. Il y en a de semblables dans la Bible dans Homere & dans presque tous les auteurs ecclesiastiques & profanes.*

pora. Verum illa hypothesis suo se subruit errore. Quis enim putabit, versus conloquio familiari adhibitos esse ab Ebræis, gente ad eloquentiam non facta, sed vitæ agresti adfuenta? Oratio simplex nativa & pedestris omnino est antiquior artificiosa & poëticam redolenti. Qui Sanchoniathonem defendunt, numquid illi eum volunt fuisse Poëtam? Quid de Manethone Aegyptio referam? Anne ejus testimonia apud Josephum obvia sunt poëtica? Quid de Dei instituto & legibus, ipsoque Decalogo perhibebimus? Quid ibi poëtici occurrunt? Amavit utique priscus orbis artem poëticam, idque in ipsis oraculis, & legibus, verbi gratia Turditanorum & Germanorum. Suspexit prisca ætas hieroglyphica & fabulas. Sed ad intricanda sua, fraude sacerdotum suadente: ad caliginem illam suis rebus gestis offundendam, quam nulla ætas plene & solide deteget, quia posteris traditis addiderunt semper aliquid, ut ex Mythologia patet. Deus vero perspicuitate sese commendavit in salutem & incolumitatem & lucem fidelium, cui nil indignius fuisset tenebris fabularum & inextricabilibus labyrinthis, quos non Deus sed cacodæmon, Genesi & Jonæ adspargere & innectere tentat. Abstineant manus & oculos a sacro codice, qui profanos auctores reverentius & clarius habent, aut pectus pietate calidum adferant.

rant. O miseros Beroeenfes, litteras facras
 scrutantes, si tam fabulofi & implicati ope-
 ris est, eas intelligere! O Judæos frustra
 ad V. T. remiffos, si ex Mythologis veritas
 fensus incerti & fallax est haurienda?

§. 6. Unicus tandem fupereft fcrupulus
 criticus, qui me multum aliquando anxium
 tenuit. Nulla de Jofuæ libro injicitur men-
 tio in fequentibus Bibliorum libris, nec Sa-
 maritani eum amplexati funt, qui Penta-
 teuchum tamen fub Jofia defcripferunt, iique
 potius alium Jofuæ librum confarcinarunt,
 fabulis refertum & ad Hadriani Augufti
 ævum ufque productum. Quod prius ad-
 tinet, commodum feffe offert 1. Reg. XVI.
 34. ubi dilucide Jofuæ verba ex Jof. VI. 26.
 excitantur. De cetero Tacitus hiftoricos,
 qui feffe præcefferant, non indicat idemque
 faciunt alii, (e) quorum filentium antiqui-
 tatem aliorum auctorum non infringit. Ad
 pofterius fi refpicimus, Samaritanorum er-
 rores Jofuæ nil detrahunt. Ipsi viderint,
 qua

(e) Du Pin en Nouvelle Bibliotheque des Auteurs Eccle-
 fiaftiques T. I. p. 43. col. I. refpondet ad Ignatii
 epiftolas vindicandas, quas nonnulli, quia ante
 Eufebium eas nemo memorat, rejiciunt, in hunc
 modum: *Quand cela feroit, il y a bien des ouvrages
 de la verité desquels on ne doute nullement, dont Eu-
 febe eft le feul, & le premier parmi les anciens, qui
 en ait parlé.*

quare Josuam nec ante nec postea sibi descripserint & canonicum esse voluerint. Cerinthiani, Valentiniani aliaq; hæreticorum monstra eodem pacto quædam N. T. scripta repudiarunt, nec tamen quisquam ideo ea recens supposita crediderit. Josiæ præterea ævo Judæi non abundabant exemplaribus Biblicis, uti ex admiratione inventi Pentateuchi liquet, quare non est mirandum, si ceteri libri Biblici in cryptis & scriniis sacerdotum taciti conquieverint. Quid igitur restat, nisi ut librum Josuæ suo auctori vetustissimo tribuamus & vindicemus, nihilque statuamus, quod Deo & revelatione unica verissimaque dignum est?

*Ros Hermonis descendens in
montes Zion,*

ad enodandum locum

Psalms. CXXXIII. 3.

Auctore

J. C. HARENBERGIO.

§. 1. *Summa dicendorum & occasio.* §. 2. *Crisis Hi-
storica.* §. 3. *Paraphrasis Psalmi. Psalmi graduum.*
§. 4. *Ros Hermonis descendens in montes Zion.* §. 5.
Difficultates quedam adparentes tolluntur.

§. 1.

CAnticum, quod sub manibus habeo,
a Davide compositum, seu לדרור
Davidi divinitus inspiratum est. Aben
Esra in præf. ad Psalmos: כל מסור
כתוב בראשו לדרור הוא לדרור או
לאהר מן המשוררים המתנבאים על דור
*Omnis Psalmus, qui inscribitur in fronte sua
Davidi, est Davidis, aut alicujus ex cantori-
bus, qui vaticinati sunt de Davide. Atqui
præfens Psalmus non vaticinatur de Davide.
Ergo Davidem habet auctorem. Sunt &
fuerunt, qui omnes Psalmos Davidi tribu-
unt, adeo ut Philastrius heresi 126. albo hæ-
reticorum inserat, qui de eo dubitant. Ut
vero*

vero ipsa Psalmorum materies illam sententiam sæpius erroris coarguit : ita nemo facile de eo hæsitavit vel ambigere studuit, quin ei, qui nomini Davidico inscripti sunt, auctore Davide gaudeant. Psalmus enim

CX, *Davidi tributus* לְדָוִד מִזְמוֹר a Christo eidem adsignatur Matth. XXII. 42. 43. 45. (a) conf. Pf. XVI. v. 1. & Act. II. 25. 29. Hieronymus ad Sophronium Epistola: (b) *Psalmos omnes eorum testamur auctorum, qui ponuntur in titulis, David scilicet, Asaph & Idithun, filiorum Core, Eman Esrahita, Moysi & Salomonis : & reliquorum, quos Esdras primo volumine comprehendit.* Non est tamen dissimulandum, Pontificios nonnullos, licet Patres bene multos ita sentire largiantur, in alia ire, quia Vulgatus Interpres alias non staret salvus & incolumis, qui Alexandrinos secutus inscriptiones addidit, & cummulavit, ubi Ebræus codex vel contractiori vel nulla inscriptione utitur. (c) Quare
tan-

(a) Act. II. 34. Conf. Act. I. 16. 20. Rom. XI. 9.

(b) T. IV. Opp. f. 23. col. 1. edit. Froben, 1516. fol.

(c) Du Pin en Dissert. Preliminairé sur les Auteurs des Livres de la Bible. §. I. p. 43. col. 1. Tomo I. Biblioth. Nov. Auct. Eccles. L' auteur de l' Abregé attribué à saint Athanase croit que sous les Pseaumes intitulez à David, ipsi David, sont d'un autre Auteur néanmoins. -- Le Pseaume 136. porte le nom de David & de Jeremie τὸ Δαβὶδ Ἰερειμίας ce qu' il faut apparemment entendre ainsi, Pseaume de Jeremie fait à l'imi-

tantum abest, ut a sententia, quam Spiritus S. adprobavit, discedam, ut potius mordicus ei adhæream. Quod quum ita sit, quaerenda sunt ejusmodi tempora & momenta in rebus gestis Davidis, ad quae veluti ad amissim ea quadrent, quae de concordia fratrum heic pulcre praedicantur. Operæ igitur pretium duxi, in id ipsum concise inquirere, &, ut una fidelia duos dealbem parietes, rorem qui descendit in montem Hermon, indeque in montes Zion ad libellam critices sacrae revocare constitui. Ut ita facerem, aurem mihi vellicavit Cynthus meus, Bibliothecæ hujus adornandæ auctor (d) Non quidem adeo mihi blandior, ut solus heic sapere palmamque ceteris prærípere tentem. Sed quia palma in medio posita est, mihi deesse nolui, si forte difficultatem facilitate superare & tollere possum. Judicium de meo conatu esto penes lectorem, veritatis divinæ amantem.

§. 2. Si singula rerum gestarum Davidicarum momenta intueamur, consensionis fraternæ globus fuisse disjectus adparet per Absolomum, qui fratrem Ammon ob incestum, sorori Thamar inlatum, e medio sustulit. 2. Sam. XIII. 28. 33. 39. Funest

tion de David. At alterutra vox est glossema, e margine insertum.

(d) In *Quæstione*, quæ subjecta est *Class. VIII. Fasc. II. p. 360.*

sta erat illa intestina clades, qua regalis familia conlidebatur, adeo ut Davides luctum non posset cohibere, & Absolom fuga & exilio voluntario triennii sibi consulere. אהים sunt fratres germani, si vocem stricte sumas, quod omnino faciendum est, nisi rationes circumstant, quæ pro alio significato militant. Satius fuisset, fratres non invicem exarsisse in propria viscera. Igitur David emolumenta divina concordiaë fraternæ tantopere prædicat, ut liqueat, quam vehementer discordiam illam & inde propullulantia mala detestatus sit.

§. 3. Adspice ipsam *Psalmi* paraphrasin, quem *Odam* ὠδὴν πνευματικὴν adpellare suo jure possumus. Dicitur autem שיר המעלות *cantio graduum*, non quod in V. gradibus, quibus ex atrio virorum in atrium sacerdotale templo in secundo nitebantur, decantata sit, ei enim aberant templo primo. Judæi consueverunt illos gradus ubique heic intelligere, sed perperam. Existimavi aliquando, instrumentum denotari Musicum, quod fidibus ita adorhatum fuerit, ut manus Musicorum adscendere & insigniter in altum plerumque ab imo ad altum sonitum digiti attolli debuerint. Panduram habui in animo vel speciem majoris chelyos, quæ tristem & lamentabilem ediderit sonum, propterea quod cantica, quibus מעלות præfixum legitur, calamitates de-

lineasse videntur. At quia conjecturæ meæ nondum solida subsunt fundamenta, id nemini persuadere laboro. Multa restant in Musica veterum, quæ fortassis occulta nobis manebunt ad finem sæculi. Nonnulla tamen detexi, & quia multum studii olim Musicae & libris monasticarum cantionum cujusque ætatis insumsi, spes me habet fore, ut notas symphonicas, quibus duo volumina Musica Nortkeri ex Sæc. IX. conscripta sunt, quorum alterum est in Academica Bibliotheca Juliae veteri, alterum possidebat olim Gerhardus a Mastricht, enotare valeam, si per locorum temporisque intervalliceretur. Psalmi Davidici in orbe Christiano semper resonuerunt, & Christiani a Judæis assumpserunt originem & ritum illos decantandi, quare Monachorum libri Antiphonales ad ministrum præbent, penetrandi ad versum & cantionis quasdam rationes exponendas. Dicitur Psalmus hic לַדָּוִד *Davidi inspiratus*, ob causam & auctorem non ignotum. *Ecce, quam bonum est, inquit Hieropsaltes, & quam deliciosum, habitare fratres non solum in iisdem ædibus, sed etiam ἐπι το αὐτο ὁμοθυμαδον simul eodem animo concordi.* Illa concordia est tam sacra & emolumenti divini plena, ut oleum e variis lectissimisque speciebus paratum, quo Pontifex magnus inungi solet, quod de-

scen-

scendit ex fronte per modum X. uncta (e)
 supra barbam, barbam inquam Aharonis, quod
 descendit in oram vestimenti ejus. Et illa con-
 cordia tam amœna & salubris, ut ros Her-
 monis, qui descendit in montes Sion intra
 Hierosolymam tres, immo septem, si Acra,
 Ophel, Moriah & Bezetha connumeret,
 erat enim Hierosolyma septicollis Apoc.
 XVII. 9. & multi circa Hierosolymam montes.
 (f) Namque ibi constituit Numen benedictio-
 nem illam, ex rore Chermonis profluen-
 tem, ad annos & ad perpetuitatem.

§. 4. In varia abeunt Interpretes, quos
 consului, anxie scrutantes, quomodo ros
 Chermonis in montes Zion descendere po-
 tuerit. Evolvi illos, ne actum agerem, sed
 novam plane me vidi tenere sententiam
 eamque minus violentam. Posui igitur
 ejusmodi fundamenta, quæ nativa & mi-
 nus coacta sunt. Primum nil muto in lit-
 teris vel vocibus, ut ingeniose fecit Hadria-
 nus RELANDUS, qui Montem שאון ad
 Tabor ille intelligit in *Palestina*, cujus ros
 est decantatissimus Maundrello. Vide *Pa-
 lest.*

Sss 2

lest.

(e) Mischnah in כריתות c. l. שמן המשחה §. I. me-
 morat, & Gemara addit, quod כמין כי per mo-
 dum X facta sit. Olim vero x, erat duplex)(*Caph*,
 unde non repugnant, qui figuram *Caph*,
 unctiōni tribuunt, quod notandum est contra
 Vitringam.

(f) R. Salomo in h. l. לה סביב להרם montes erant
 circa illam.

lest. L. I. c. 49. p. 325. Rationes ejus sunt 1) quis fando audivit, rorem, qui montem aliquem occupat, ad alium montem, qui centum milliarium Romanorum spatio inde abest, dici descendere? Resp. Ros ille, qui descendit in montes Zionis, non dicitur occupasse & descendisse in Hermonem, sed dicitur *יטל הרמון* *ros Chermonis* i. e. qui producit in Chermon. Modum vero illius descensus infra doceo, nec video causam, cur *αδυστατον* heic adpareat. 2) Ros ille descendit ex loco altiore in humiliorem, sed ipse Tzion erat mons excelsus: Resp. Chermon erat altior, tam ob nivem æstivam, quam ei Hieronymus in Onom. *Aermon* tribuit, quam ob descensum Jordanis. 3) Tzionem fuisse unum montem. Resp. constabat tribus montibus seu collibus, ut Ebræi testantur. 4) Montem nivofum, & de æstate nive tectum incredibile est rorem gignere, erat enim Chermon *טור תלנא* *mons nivis* ideo dictus, ut adparet ex Targ. Num. XXXIV. 8. Deut. IV. 48. Resp. Eo major roris adfuit gignendi copia. 5) Est urbs, haud procul Tabor, in tribu Isaschar, Jos. XIX. 17. *שיאון* intelligenda. Resp. Id fieri non potest, textu salvo & incolumi. Præstat enim ignorantiam fateri quam ense critico uti in sacris vinetis. Deinceps *montes Zionis* retineo in propria significatione, & ipsum Chermonem majorem, frigidum & rore uberrimum. Non repe-

repeto tertio כטו, ut fecit R. Salomo Ben-
 Melech & Interpretum bene multi. Inest
 enim ipsi sacrae scripturae satis perspicuitatis,
 si eam velimus fidenter sequi nec a turba
 commentatorum per avia ferri. Osten-
 do etiam modum nativum & simplicem, quo
 ros Chermonis i. e. in Chermon conlectus,
 condensatus & genitus ad montes Zionis
 descenderit, qui utique uti ex Jordanis de-
 lapsa intelligitur, fuere inferiores edi-
 tissimo Chermone. Recensio variarum
 sententiarum huc non transcribetur.
 Est enim species incognitorum rei lit-
 terariae peccatorum, eadem centies re-
 ponere, recensione utiles sepelire libros &
 bibliopolas avidos refecire, ut mercatores
 caro pretio eandem rem centies debeant
 emere & crumenas evacuare in cassum.
 Sed manum de tabula. Meditatur enim
 hanc tractationem Hospes meus olim vene-
 randus, Licentiatus S. Th. *Sylvester* TAPPE-
 NIUS, Hildesiensium sacerdos literatissimus.
 Quare ut ad rem veniamus, repetendum est
 ex eis, quae huic Bibliothecae Class. VII.
 Fasc. IV. Art. 5. p. 630. sqq. inferenda nisi, &
 quae Doctissimus addidit Art. 6. p. 638. sqq.
Iustus Martinus GLAESENERUS de *Sam-*
miel, Palaestinae nocivo. Non tamen diffi-
 teor, me non ubique consentire cum Glae-
 senero, sed notum me intelligere ventum,
 quem ille per eorum exposuit. Ventus il-

le nocentissimus urit vehementissime, hora-
 que nostra circiter octava ingruit, cum
 solis æstu crescit, in meridie fervidissimus
 est, & nocte sensim adpetente remittit,
 præcipue Junio, Julio, Augusto, ac Septem-
 bri mensibus, quibus ideo ros nocturnus,
 maxime in Palæstina, pro refrigerandis her-
 bis, admodum est necessarius. Causa ejus
 venti ex calore solis propioris & accedente
 sulphure terrestri derivanda est. De venti
 illius turbine sermo est in *Alcor. Su-
 ra* XLI. v. 15. (g) Judæi eum vocant *טבוה*
 i.e. mactatorem, & quod pridie Pentecostes in
 solitudine Arabica invaluerit, ut omnes per-
 rimeret, ni legem Mosaicam libenter admi-
 sissent, perhibent. (h) Ut vero sensim sol
 occidit, ille æstuosus ventus cessavit. Aër
 enim condensatus æquilibrium turbavit suc-
 cedens in austrum, adeo ut ex eadem causa,
 præeunte J. Clerico in *Physicis* perpetuus
 eurus sub Aequatore, scilicet ex eadem con-
 densatione & frigore, repetendus sit. Ven-
 tus utique est æquilibrii aëris turbatio, ea-
 que vel ex subtili æstu & dilatatione, vel a
 condensatione & frigore oritur. Ubi igitur
 calor, sole occidente, cessavit, aër sensim est
 condensatus graviorq; factus, ideoq; in loca,
 quæ

(g) Jer. XIII. v. 24. *רוח מרבב* *ventus deserti* dici-
 tur, quia inde in Palæstinam adventabat.

(h) *Minhagim* fol. m. 15. col. 2. Buxtorf. in *Synagoga
 Judaica* c. 20. p. 442. & in *Lexico Talmudico* sub
 voce *שומה*.

quæ diductione austri subtiliter expansa fuerunt, idem successit & ruit. Exemplum ejus rei hygrosopia quotidie præbent. (i) In frigore deinceps exhalationes etiam quotidie oriuntur eoque graviores, quo densiores sunt. (k) Vapores illi, quando condensatur aër, propius mutuo accedunt, ideoque gravitatem aëris specificam superant & prægravant, & quia ex mutua propinquatione confluunt, gravitate sua ruunt (l) terramque humectant. Si igitur loca sunt calidiora, pruina inde non gignitur, sed fluidæ guttæ decidunt humi. Quodsi proinde de vespera & nocte gravior aër septentrionalis subtiliora minusque densa aëris loca (m) premit & explet densitate, ros cum aëre moto defertur versus austrum. Interdiu hoc fieri non poterat, quia spærulæ æthereæ ab ignea solis superficie excitatæ celerime & continuo aërem pervadebant, diducebant & majori elasticitate (n) instruebant, vapores adhæc in subtiliores partes dispergebant. Sublata vero de vespere & nocte illa elasticitatis causa aër coit & aura gravior pellit subtiliorem & minus gravem, eam-

Sss 4

- (i) Conf. *Physicam* Christiani Wolffii c. III. §. 206. 207. p. 288. sqq. & *Äerometriam* c. 6. §. 177.
 (k) Conf. ejusdem *Physicam* c. V. §. 250. p. 341. sq.
 (l) Conf. ejusdem *Physicam* c. VI. §. 271. p. 366. sq.
 (m) *Elementa* Ejusd. *Äerometriæ* c. 6. §. 175. p. 774.
 (n) l. c. c. V. §. 137. p. 763.

eamque comprimit. Mons Chermon igitur, quia fuit elatus & frigidus, vaporibus terrestribus & marinis supernatantibus gravidissimus, condensationis aëris in Palæstina causa fuit palmaria, cujus rores etiam Orontem, Eleutherum & Jordanem generant. Quid igitur proclivius est iudicatu, quam mensibus fervidissimis noctu rorem Chermonis ad austrum fuisse perlatum, & Palæstinam, ac eum sitientissimas Zionis siccitates quaqua versum humectasse? Quod Hieropsaltæ ea mens fuerit, facile adferitur 1) ex rei ipsius veritate; 2) ex similitudine olei a summo ad ima pergentis, moti, ac defluentis; 3) ex retenta vocum nativa significatione; 4) Ex roris istius saluberrimi aptissima comparatione cum salubritate concordiae fraternæ; 5) Ex Absolomi natalibus, cujus mater ex Gessur orta erat, quorsum ipse Absolom, peracta cæde, confugiebat, qui locus ad Chermonem erat situs. En aptissimam & significantissimam similitudinem. Judicent, qui emunctæ sunt naris & sensuum in sacris exponendis exercitatorum.

§. 5. Possem heic conquiescere, nisi usquequaque expositio mea foret munienda. Id non solum. *לפני מנחת* Relando, sed etiam aliis alienum videri potest, quod *הררי ציון* montium Zionis injiciatur mentio. Ut vero montes proximi denominari solent ab ipsis

op-

oppidis, ita mons calvariae & oliveti, ut remotiores taceam, merito montes Zionis dici possunt. Quoties etiam Zion Hierosolymam, & *συνοδοχίως* omnem Palæstinam notat? *Reditus Judæorum* e Babylone a vatibus divinis delineatur, ut is *in Zionem* faciendus esse dicatur. (o) Hierosolyma diruta vocatur Zion, (p) & ipse mons Acra *I. Macc. I. 35*. Ut vero hæc omittam, suadent alia, quæ ad scopum propius conlineant. Tradunt enim scriptores tum Ebræi tum Christiani, qui medio ævo Judæam lustrarunt, montem Zion proprie constare tribus collibus, uno magno & altissimo, & duobus parvis. Inde enim Ebræi docent, Hierosolymam insitam fuisse septem collibus. (q) Altera difficultas in eo consistit, quod Chermon non adpareat esse roridus ob nivem æstivam ei incubantem. Sed quod ubique & perpetuo per æstatem nix Chermone texerit, nondum in aprico est. Quin potius, ubi rariores sunt pluviae, rores fluvios gignunt. (r) Quocirca Chermon fuit rore uberrimus, quia ex Panio, vertice ejus editissimo, Jordanes continuo flumine profluxit perennique unda. Jordanes vero

S s s 5 vapo-

- (o) *I. c. c. V. §. 149. p. 766.*
 (p) *Es. LII. I. 8. XXX. 19.*
 (q) *Thren. I. 4. IV. 2. V. 11.*
 (r) *Liber Tanchumim fol. 52. col. 3.*
 (s) *Wolfii Physica c. XI. §. 345. p. 507.*

vaporibus gignendis largissimus rore totam
Judæam irrigavit, ejusque interventu Cher-
mon toti Palæstinæ fuit salubris. Non du-
bito igitur, quin potissimæ difficultates sub-
latae sint, quas objici mihi potuisse
præferam. Proferant re-
tiora, qui valent.



IV.

M. JO. STENGELII,
Ulma - Suevi.

Dissertatio Philologico-Theo-
logica

De

Duplicis Domini Nostri Jesu
Christi status

**EXINANITIONIS & EXALTA-
TIONIS**

Vestigiis obviis

In Jesaiæ LII, 13. (LIII, 1.)

הנה ישיכל עבדי ירים ונשא
ונבה מאד :

SUMMARIA.

Cap. I. Philologicum. §. 1. B. Lutheri, hujus loci ver-
sio, modeste notatur. §. 2. quæ nostra circa eun-
dem

dem mens sit summam indicatur. §. 3. de particula הנה. §. 4. de nomine עבר, ejusque varia, variis impositione. §. 5. de verbo ישכיל & ejus triplici significatione §. 6. de verbo ירום §. 7. נשא hujusque triplici notione. §. 8. de verbo נבה, & duplici ejus significato. §. 9. de particula מאר, pluribus differitur. §. 10. Versio nova hujus commatis suppeditatur. Cap. II. Theologicum. §. 1. Dicitum nostrum agere de Messia, probatur. §. 2. Hoc dicitum de Exaltationis tantum statu agere admitti non posse, monstratur. §. 3. Vocabulum עבר & ישכיל & §. 4. verbum ירום ad statum Exinanitionis: §. 5. Cetera verba ad statum Exaltationis, pertinere, docetur. §. 6. Argumenta à contextu desumpta, indicantur: §. 7. Contextus ipse totius Cap. LIII. indicatur. §. 8. Paraphrasi hujus dicti, dissertatio nostra, clauditur.

CAP. I.

Philologicum.

§. I.

OMnium horum verborum tenorem, B. noster D. Mart. LUTHERUS, Germanus alias Sacrarum Litterarum interpres, haud dubie accuratissimus, in expositione, quam nobis reliquit Germanica, non satis expressit, cum LXX. interpretibus, eadem, ut credo, ita reddens: Siehe mein Knecht wird weislich thun und wird erhöht, und sehr hoch erhaben seyn: Quemadmodum enim ut plurimum magis de sensu accurate, quam verbis superstitiose exprimem-

primendis follicitum fuisse, Exegetam sui temporis ad stuporem usque diligentem, scimus; ita & h. l. magis sensum quam verba respexisse, ex ipsa versione concludimus, nec sine causa dicimus. Ast vero plures alios eum in explicatione hujus dicti, secutos esse, vestigia plurima indicant. Quare ego pro viribus meis hac dissertatione elaborabo, ut scrutando hujus dicti verum sensum, eruam: quodque etiam feliciter me consecutum fuisse, quantum quidem licet, auguror.

§. 2. Animus igitur mihi est, ex hoc dicto, utriusque *Exinanitionis* puta & *Exaltationis status* vestigia, in Vet. jam Testamento de Christo Servatore nostro præsignificata, docere. Ne tamen putes B. L. ac si novi quid dixisse mihi videar, siquidem & ab aliis jam observatum fuisse interpretibus, de *Exinanitionis* & *Exaltationis* statu h. l. agere bene scio; sed id saltim agam ut distinctius probem, quænam ad priorem, quæve ad posteriorem statum indicandum verba pertineant: Videbis enim illos, tria posteriora verba, נבֿה & נשֿא ירום ad exaltationis; me vero prius illorum ad exinanitionis ejusque ultimum gradum mortem puta in cruce passam, probandum, retulisse. Quod ut eo clarius omnibus patefcatur, secundum artis Philologicæ regulas, totius commatit verba, perscrutabor.

§. 3. Primum itaque hujus Jesaiani dicti vocabulum, הנה *Ecce*, rei mirandæ, gravis & insolitæ prædictionem notare, ex contextu liquet, quando ut ad novum, de statu futuri Messiaë vaticinium, accuratius attendant, Propheta auditores suos admonet. Quo sensu & in VII. ejusdem Prophetiæ Cap. de plane admiranda Servatoris nostri in utero virginis Mariæ conceptione, & quidem v. 14. : הנה העלמה הרה *Ecce virgo quaedam concepit*: accipitur. Et Propheta quoque Zacharias, Cap. IX. v. 9. futuri Messiaë ad redimendum genus humanum, Hierosolymitanum adventum prædicens: הנה מלכך בא לך *Ecce Rex tuus venit ad te*: usurpat. Non est ergo cur diutius in particulæ hujus expositione morer, quin potius statim ad alterum, subjectum de quo h. l. sermo est, indicans vocabulum, ejusque analysin progrediar.

§. 4. Dicitur autem עבדי *servus meus*; Hujus vero vocis in Sacris Litteris varias significationes ut omnes adducam, tantum mihi laborem facere nolo. Missis ea propter iis quæ de *Prophetis* partim *in genere*, uti 2. Reg. IX. 7. partim etiam *in specie de Mose*, qui fere καὶ ἑξοχῆν Dei servus, innumeris in locis, quæ inter imprimis Num. XII, 7. notari meretur, vocatur: nec non etiam *de Jesaia* in Cap. XX, v. 3. ejusdem Prophetiæ. Quæ *de Regibus* & quidem tam piis, ex. gr. de *Davide* sæpius

§. 5. Verbi שכיל iterum varias in scri-
 pura S. notiones observamus: quarum una
 coincidit cum significatione צליח atque
 idem est ac provide & prospere agere: altera
 vero alios instruere atque prudenter reddere,
 significat. Priorem explicationem affirmat
 Eduard. LEIGHIUS in Critic. Sacra. voce שכיל
 sequentibus: *Non modo prospere verum etiam
 provide aliquid agere significat: ob id fortasse,
 quod quæ temere suscipiuntur, plerumque in ad-
 versam partem cadunt: quæ rursus consulto
 fiunt, secundos ac letos eventus habent, ut recta
 consilia cum secundis successibus minime male con-
 jungantur.* Hujus significationis exemplum
 ex i. Sam. XVIII, 14. desumo, ubi de Davi-
 de, summam imperii tum exercitus Saulis
 Regis Israëlitarum, tenente pronuntiatur,
 quod fuerit לכל ררכו משכיל in omni susci-
 pienda re prudens: & v. 15. dicitur, eum
 מאד משכיל prudentem valde fuisse. Scio
 equidem plurimos Exegetarum verbum
 שכיל h. l. per secundari s. prospere age-
 re, idque speciose admodum, expo-
 nere: sed quid si dicamus, utrumque
 significatum quam optime simul hic stare
 posse: ille enim, quemadmodum modo
 ex LEIGHIO audivimus, qui prudenter
 omnia suscipit, vix aliter quam feliciter &
 ex voto ea ad finem etiam perducere potest.
 Hac eadem duplici significatione sæpius &
 alibi invenire hanc vocem, facile ex plu-
 ribus locis probari possit: Unius saltim ad-
 hue

huc ex Proverb. Salom. & quidem Cap. XXI. v. 20. defumti loci, mentionem injiciam. Ibi vero **משכיל על דבר** *prudenter agens rem suam*, dicitur *invenire bonum*. Non enim dubito (etsi alii vocem **משכיר** *attendentem*, interpretentur, **דבר** vero *de verbo Dei* intelligant) affirmare, Salomonem in hoc versu interroganti, quomodo quis fieri vere beatus possit? respondisse: si prudens quis sit in actionibus suis, invenire eum bonum, & si confidat in Deum, fieri illum felicem imo beatum. Restat vero ut & alterum hujus vocis notionem addam, qua *alios erudire & prudentes reddere* significat: Exempla ejus plurima in sacris litteris deprehendimus, evolvamus modo Psalm. XXXII, 8. & Prov. XXI, 11. in priori loco verba: **אשכילך ואורך בדרך זו תלך** *Erudiam te & lux ero in via quam ibis*: in posteriori vero: **בהשכיל להכם יקה דעת** *Instruendo in sapientia scientiam* (stultus) accipit: reddenda sunt. Ne quid dicam, quod vox **משכיל** uti in cit. Psalmi inscriptione, sic & in duodecim adhuc aliis eorundem titulis, *instructionem s. odam Didascalicam*, notet: Prouti Daniel. XI, 33. verba: **משכילי עם** *informantes s. informatores populi*, recte vertuntur. Quod si vero quæras locum in quo tres hactenus notatas significationes simul deprehendere possis, talem me invenisse puto in Proverb. Salomonis XIV, 35. ubi dicitur

quod

quod עבד משכיל *Minister prudens*, Regi placeat: Jam quis nescit: Regio ministro non solum incumbere suis quæ ipsi injuncta sunt officiis prudenter fungi, sed etiam ab illo requiri, ut qui sub inspectione ejus vivunt, de rebus suis gerendis, ab ipso quoque instruantur atque informantur: Talem si sese præstat, neq; de felicissimo ac prospero omnium suarum actionum successu, desperandum erit: quapropter optime verba עבד משכיל reddimus: *Ministram qui prudenter officio suo fungitur, suosque fungi docet, felicissime rem suam agere, & Regi suo placere.*

§. 6. Sed ad verbum ירום quod jam sequitur, me converto. Hoc vero generatim extollere aliquid significat, ubi innumera loca id testantur, deinde *ex loco inferiori ad superiorem* s. eum in modum ut è terra remotum corpori cuidam superimpositum, attollatur, usurpatum legimus: Itaque in Gen. VII, 17. de arca Noæ, quæ multiplicatis aquis sic de terra sublata erat, ועל הארץ *ut elevaretur desuper terram,* & aquis superimposita maneret: eodem fere sensu legitur Psalm. LXI, 3. ubi David Deum, ut בצור ירום *in rupem ipsum deferat,* precatur. Eundem significatum & h. l. verbum ירום habere, infra dilucidius monstrabimus.

§. 7. Verbum ירום excipit verbum נשא
 Class. VIII, Fasc. VI. Ttt cu-

cujus de notionibus jam quoque sollicitus
 ero, quæ cum variæ sint (quas LEIGHIUS
 l. c. h. v. annotavit, quas inter notissima est
extollere) eas saltem commemorabo, quæ ad
 nostrum laborem faciunt & præsentem lo-
 cum, parallelum agnoscunt. Nolo autem
 in adducendis locis tempus & chartam per-
 dere, eas attamen eligam, quæ huc stricte
 facere mihi visa sunt. Has inter numero
 præprimis notionem, quæ à *stirpium proger-
 minatione* desumpta est, qua crescentes plan-
 tæ in sublime feruntur atque confurgunt,
 quæ significatio transitive deinde etiam de
 quacunque productione adhibita deprehen-
 ditur; exemplo nobis esse potest Ezech.
 XVII, 23. ubi de arbore dicitur, quod *וַיִּשְׂא
 עֵנָף* producat ramum, qui antea adhuc in ab-
 sccondito erat atque invisibilis. Huic aliam
 subnecto, quæ ad nostram magis quam in-
 quirimus notionem accedit, qua aliquid *ab-
 scconditum ex inferiori* quadam parte producere
 judicat. Hoc sensu Propheta Amos IV, 2,
 eodem verbo usus est, de graviter in Deum
 peccante populo dicens: quod juraverit
 Deus, venire tempus super Israël, *וַיִּשְׂא אֶתְכֶם
 בַּצְּנוֹת וְאַחֲרֵיתֶכֶן בְּכִירוֹת דּוּגָה*:
*quid producere-
 mini vos (Israëlitæ) hamis, & posteri ve-
 stri hamis spinarum instar pungentibus, piscium.*
 Jam vero cum ex infimis aquæ fundis pisces
 hamo protrahantur, nemo negare poterit, *וַיִּשְׂא*
 etiam corporis in terra s. sepulchro inclusi jacen-
 tis

tis productionem significare. Dubito anne & hisce tertiam quoque $\tau\alpha$ נשא notionem addam? quæ Jerem. LI, 9. in phrasi: נשא ער נשאקים extollere usque ad nubes: cum an ad nostram aliquid faciat, valde dubitem: interim & tetigisse eandem non pœnitebit.

§. 8. Ultimū denique verbum restat, quo de servo Dei supra nominato dicitur, quod fuerit נבה exaltatus. Hujus verbi sensus admodum communis quidem est, ut crambem coctam recoquere me velle, si plura de eo adderem, videri possim. Verum ne hujus tantummodo verbi parallela loca omit- tam, eorum quoque huc imprimis perti- nentia, tradam. Estō ergo primus ex Ezech. XXXI, 5. Ubi de arbore præ ceteris eminente dicitur: על כן נבהא קמתו מכל-עצי השרה propterea exaltata est altitudo ejus super omnes arbores agri. Alterum ipse nobis sup- peditat Esa. III, 16. ubi dum magnitudinem Gratia Dei gravissimis verbis describere an- nititur, similitudinem desumpsit ab altitudine, qua cœlum à terra distat, dicens: כי נבהו שמים מארץ quantum distant cœli à terra: vel potius quo magis & multo sublimius collocati sunt cœli in altitudinem præ terra. Ex qui- bus locis adductis videre est, notare ver- bum נבה non solum extollere aliquid de ter- ra, sed extendere suam latitudinem etiam ad cœlum usque, imo cetera omnia sua al- titudine atque eminentia superare.

§. 9. Unicum adhuc superest vocabulum, idque in rei augmentatione adhibendum perquam tritum, scil. particula מאר, cujus significatio tam lata est, ut de amplitudine, multitudine & magnitudine tam morali quam physica dicatur. Utrumque significare mihi videtur, in primo quo in sacris litteris extat loco, Genes. puta Cap. I. v. 31. quo opera à Deo creata atque producta, bona valde creatori & hominibus visa fuere. Quia & aliquando ad augendam intensiorem, repetitum deprehenditur; Ut Genes. XVII, 9. וארבה אותך במאר מאר *multiplicabo te maxime.* Etsi vero nostro h. l. eo modo non inveniatur expresse positum, plane tamen singulare observo, quod accentuationis rationem si habere volumus, ad tria adducta verba referendum esse videatur. Persuadet id mihi positio accentus *Silluki* sub particula מאר, ante se subdistinctivum minorem *Tibhcha* sub voce נבה habens: Adeo ut tria ista verba separatim & particula מאר separatim, ita tamen exponantur, ut intensiorem particula ad tria illa verba quasi posita, repetenda sit. Quo facto eandem particulam מאר per valde explices, eo quidem modo, ut vis & vehementia aliqua subinnuatur, velim, quod deinceps clarius in applicatione exponam.

§. 10. Sic explicatis verbis h. l. totum comma sic transfero, *Ecce servus meus prudens, prospere rem suam agens aliosque informans*

mans, attolletur loco altiori terra superimpositus, rursus (particulam enim (1) h. l. continuativam habere significationem contextus docet. Vide Dantzii Interpretem. §. 193. I. 2.) productus, tandem supra omnia exaltatus est, idque omne cum vi singulari atque vehementia.

CAP. II.
Theologicum.

§. I.

GRammaticali itaque verborum valore indicato, analysi horum instituta & versione eorundem tradita, de sensu hujus comatis Theologico jam sollicitus ero. Nolo vero hic eum repetere errorem quem cum Judæis, Christianorum etiam quidam errarunt, vel saltim errare visi sunt, ea scilicet quæ à Jeseia in hoc & proximis huic capitibus proferuntur, non de Messia Dei filio, sed de nescio quibus aliis personis intelligenda esse, somniantes, atque sensum Propheticum, in Historiam pessime detorquentes. Hujus autem exegeos falsitas eo magis elucet, quo melius omnia hæcce vaticinia in Messiam Dom. Nostrum quadrant. Accedit ipsorum Judæorum confessio, atque testimonium, hoc ipsum Vaticinium de Messia explicantium. Instar omnium nobis sit Paraphrasis Chaldaica, verba nostra ita

solum tribus distinctis verbis, idem etsi significantibus, sed addita insuper particula $\tau\alpha\upsilon\tau$, rem unam exprimeret. Quare ut difficultates hasce evitem, circumstantias textus hinc inde volvi, donec aliquam me invenisse explicationem putabam, quæ omnibus circumstantiis conformis, in regulis bonæ interpretationis fundata, nec analogiæ fidei contraria esset.

§. 3. Persuasissimus scilicet sum, duplicis Domini nostri Jesu Christi status vestigia, eaque distincta satis in Prophetæ sermone deprehendi. Idque tam ex significatione verborum, quam etiam ex totius contextus oeconomia mihi probatur. Primum igitur à verborum significatione desumptum argumentum quod attinet, ex hæctenus eorum exhibita explicatione, aliquatenus jam patet, quod ut accuratius pateat, atque distinctius cognosci possit, ad status ipsos applicabo. Sic vocabulum $\tau\alpha\upsilon\tau$ ad exinanitionis statum pertinere, nemo facile negabit: idque eo minus quo magis Paulum ipsum Apostolum assertorem habemus, qui supra jam c. l. expresse in eo $\mu\omicron\rho\rho\phi\eta\nu\ \delta\upsilon\lambda\omega$ statuit, quod $\acute{\epsilon}\alpha\nu\ \acute{\epsilon}\tau\omicron\nu\ \acute{\epsilon}\kappa\epsilon\nu\omega\sigma\iota$, *se ipsum exinanivit*: eoque quidem tempore quo variis subiectus tentationibus atque nihilominus prudenter atque quoad spiritualia prospere subinde in hac terra cum Judæis aliisque in quotidiana consuetudine vivebat, atque audi-

entes informabat, non solum in dogmaticis sed & in practicis s. moralibus, vitam prudenter, Deique præceptis conformem sectari. Hocce Propheticum Messiaë munus Jesaias noster sine omni dubio in verbo השכיל exprimit: cujus, jam in tenerrima ætate, duodecimum modo agens annum, extraordinaria signa, summa cum laude, Doctores inter, Luc. II. testante, Christus edidit. Ut de reliqua ætate, qua uti, sic & sapientia proficiens, Dei & hominum gratiam consecutus est, nihil nunc repetam. Utque adeo tota Messiaë in terris conversatio, quam gravissime atque emphatice in sola voce ישכיל nobis delineetur.

§. 4. Vitæ cursum innocentissimum, tristissimum maximisque doloribus plenum mortis genus, excepisse, Evangelistarum & Apostolorum scripta unanimi consensu nos docent, & Propheta noster olim jam nobis prædixit. Id sane voce ירום innuit, exaltatus est enim Christus, in crucem, lignoque quod transversum extremo crucis prodibat (quod ex antiquitate clare admodum Jo. Mich. DILHERRUS in Tr. de *Cruce Christi*, descripsit) superimpositus, manibus pedibusque affixus, innocentissimam animam exspiravit. Talem sibi vitæ finem instare, ipse Dominus Noster Jesus Christus tam Nicodemo Jo. III, 4. *καθως Μωσης υψωσε τον οφιν εν τη ερημω, ετως υψωθηναι δει τον υιον*

τις ἀνθρώπων, quam etiam suis discipulis paulo ante mortem clarissimis verbis prædixit: *ἐὰν ὑψωθῶ ἐν τῆς γῆς, quando sublatuſ ero de terra*: Jo. XII, 32. quæ verba ipse Evangelista ideo Christum protulisse dicit: ut ostenderet, qua morte moriturus esset. Eo confidentius & majori jure hæc loca huc applico, quia eo verbo (ὑψω) Christus in utroque utitur quo LXX. Interpretes verbum ירום in loco nostro exposuere. Et sic horum verborum applicatione status Christi Exinanitionis vestigia haud obscura dedimus.

§. 5. Superest ut Exaltationis Messiaë status indicia ex dicto hoc probem: Faciunt huc vocabulum נשא & נבה, quorum illud *resurrectionem*, hoc sine dubio *ascensionem in cælum* notat. Quod prius vocabulum scilicet נשא attinet, notare illud ex abscondito quodam loco corpus aliquod producere supra jam docuimus, quod sane quam optime ad resurrectionem Christi applicatur: Christus enim & vi propria & à patre ex sepulchro magna cum majestate productus, & vivos inter positus est: Ipsius enim anima juxta Davidicam de Persona Christi, prophetiam Psalm. XVI, 10. & Petrinam ad Christum adplicationem Actor. II, 27. *in sepulchro non relinquetur & sanctus ille, corruptionem non visurus est*: Sequens autem vox נבה adscensionem in cælum, forte & sessionem con-

secutam ad dextram Dei Patris notat, in summam enim altitudinem, supra omnes cœlos Eph. IV, 10. omniaq; quæ in terra sunt excedens, elatus est, quod Marc. XVI, 19. sqq. coll. Actor. I, 9. in suorum discipulorum præsentia factum esse, legimus. Quid denique de superaddita particula **וְעוֹ** putamus sentiendum esse, supra jam innuimus: Affirmamus idem & hic in applicatione, respicere nempe eandem tria posteriora textus verba, atque cuique vel augmentationem, vel vehementiam, vel excellentiam quandam addere, qua, auctor prophetiæ, ad crucem exaltationis; ex sepulchro productionis, & in cœlum adscensionis singulare quiddam indigitat.

§. 6. Sed restat ut alterum à contextu desumptum, priori jungam. Hic ante omnia pro concesso agnosco, duo hæc capita LII. & LIII. Jesaiæ, de Messia futuro agere: Deinde C. LIII. à dicto nostro explicationem incipere, neque tres ultimos versus ad LII. Caput referendos esse, idque ex certissimis rationibus totus sum persuasus. Hoc vero inde probo, quia in LII. Cap. usque ad v. 12. inclusive, Propheta Dei nomine Novi Testamenti. Ecclesiam excitat, ut se ad adventum Messiae præparet. Deinde gloria Messiae paulo distinctius hoc eodem capite descripta, Personam ejus ipsam & quidem uti jam monstravi, secundum utrumque statum,
in

in LIII. cap. delineatam proponit. Id ut
 clarius fiat Cap. LIII. à nostro textu initium
 ducentis, contenta inspiciamus: Ex quibus
 facile quilibet intelliget, exhibere in eo Pro-
 phetam, eorum quæ in v. i. continentur
 verborum, dilucidissimum commentarium.

§. 7. Vt itaque i. Auditores suos, Prophe-
 ta Sanctus, admirationis particula præmis-
 sa, ad attentionem excitat, ut qualis ali-
 quando Messias, tam diu jam à pluribus de-
 sideratus atque omnibus expectatus, futu-
 rus sit, ex brevissimis enarratis verbis di-
 scant: Sed quemadmodum id commune fe-
 re est atque ubique obvium in Prophetis, ut
 personam s. subjectum ad quod sermonem
 proferunt mutant, ita & hoc capite muta-
 ta persona Propheta ipse, Messiam, de quo
 antea Deus Pater locutus erat, alloquitur,
 dicens, multos de illo, ob corruptissimam
 externam speciem, qua multo inferior aliis
 omnibus videbatur, obstupefacturos. Ju-
 daeis enim plane alium Messiam majorique
 pompa adventantem, sibi imaginantibus,
 Mariæ filium scandalum movisse Paulus i.
 Cor. I, 23. imo Christus ipse aliquoties fa-
 tetur. Pergit deinde Propheta, hanc fer-
 vilem formam, ea tamen prudentia or-
 natam futuram, ut ipsimet ejus hostes, quos
 inter & Principes & Reges sint, ejus pru-
 dentiam admirari, innocentiamque agnoscere
 ex conscientia convicti, publice cogentur.

Post-

Posthæc Jesaias neglectum prædicati Evange-
 lli notat, atque denuo humilitatem Christi, à
 plantæ similitudine desumpta, depingit: De-
 inde cruenta nostra vulnera peccata puta
 (quibus mederi sua passione, ex summo
 erga genus humanum amore, voluerit)
 causam esse dicit, quare tam gravis-
 simos dolores, suscepit. Quando
 porro v. 11. ex cœtu viventium illum sub-
 reptum esse dicit, mortem ejus indicat, ad-
 dita simul consolatione maxima, generatio-
 nis ejus non fore finem: v. 12. sepulturæ
 circumstantias enarrat: Sequentibus vero
 commatibus gloriam Christi in & post re-
 surrectionem futuram inque verbis אשׁוּנָה &
 נִבְרָא contentam, pluribus exponit.

§. 8. Nihil ergo superest, quam ut bre-
 vissimam hujus explicati commatis, uti
 supra versionem, hic jam paraphrasin ad-
 dam. Esto vero illa sequens: Propheta s.
 potius Deus per os Prophetæ Ecclesiam No-
 vi Testamenti sic alloquitur: *Attende ô Ec-
 clesia Novi fœderis, olim plantanda, ad admi-
 randum atque plane insolitum factum: Ecce
 filius meus unigenitus, naturam humanam assu-
 mendo, meamque voluntatem de redimendo ge-
 nere humano implendo, servus meus factus,
 prudentissime in hac vita aget, & alios in-
 formabit de via Domini, atque feliciter offi-
 cium suum exercebit, ast ab ingratis-
 simis Ju-
 deis*

deus in crucis lignum extolletur, mortemque
 atrocissimam subibit: Ast ne te hoc affligat, rursus
 ex sepulchro productus & supra omnes cœ-
 los elevatus ad dextram meam exaltatus est.
 Idque omne non sine magna vi atque vehemen-
 tia. Hæc mea sunt de Vaticinio hoc Je-
 saiano cogitata, quæ altera vice (a) hinc
 inde immutata atque emendata, æquo tuo
 iudicio, mi B. L. subijcio. Quæ ut in
 Dei gloriam tuique ædificatio-
 nem cedant, ex animo
 precor.

V.

(a) Prima vice prodibat sub forma epistolæ ad Vi-
 rum Sum. Reverend. Ampliff. atque Excell. Dn.
 Dan. RINGMACHERUM, Ecclesiar. Ulmenf.
 Seniorem. Altorffi Noric. A. MDCCXIX. scriptæ.

THEODORI HASAEI,
ad praecedentem dissertationem
ANALECTA,

in quibus, cur & quomodo status
^{ταπεινώσεως} Christi, praesertim **CRUCI-**
FIXIO, vocetur **EXALTATIO**, ostendi-
tur, & in loco Es. LII: 13. de utroque
Christi statu agi, porro con-
firmatur.

SUMMARIUM.

Tribus in locis ^{ταπεινώσεως} Christi vocatur ^{ύψωσις}.
An id quoque fiat Luc. IX: 51. Quid ibi sint dies
^{της ανάληψης}? ^{Ανάληψις} est adscensio in coe-
lum. §. 1. An huc pertineat locus Es. LIII: 8. §. 2.
Unde Christi crucifixio dicatur ^{ύψωσις}. An id fiat
in allusione ad vexilla §. 3. Rationes illius phraseos
indicantur. Quarum prima (1) petitur ex ipsa na-
tura rei. Sine enim exaltatione nulla crucifixio
locum habet §. 4. Quia (2) Christus vix aliter loqui
poterat. Cur nusquam disertis verbis in V. T.
Christi crux praedicta sit. Id enim facere Prophetae
nec potuissent, vel si voluissent, nec voluissent, vel si
potuissent. §. 5. Christus est usus voce ^{הָרַף}, quae
exaltationis quidem, sed & *suspendii* & *crucifixionis*
significationem habet §. 6. In (3) allusione ad *ser-*
pentem aeneum. In primis (4) ad *sacrificia* V. T. in
quibus *quintuplex* exaltationis modus observatur.
^{עָלָה, תְּרוּמָה}. §. 7. Quod (5) Christi *exaltatio*

& humiliatio arctissime inter se conjunctae sunt. §. 8.
 Quod (6) Christus respiceret locum Es. LII: 13.
 Ubi utrumque statum denotari, quinam viderint?
 §. 9. מוֹתֵם habet notionem primo mortis & annihila-
 tionis, ubi הָלַךְ & סָלַח. Locus Pf. CII: 24. Ἀναλυσίς
 est mors. Tum (2) suspendii §. 10. Porro (3).
 Violentae sublationis. ἄλυσιν. Tollere. Ἀλυσιν sumi-
 tur pro crucifixione §. 11. Objectioni Kimchii obviam
 itur §. 12. Totus verborum situs apud Esaiam docet,
 de Christi humiliatione ibi quoque sermonem institui.
 שָׂכַלִּי quid sibi velit. §. 13. Comma 13. C. LII;
 exhibet summam omnium cap. LIII. dicendorum
 §. 14, 15. Diversi exaltationis Christi gradus per
 אֲשַׁכְּחֶנּוּ & גָּבַהּ distincte proponuntur. §. 16, 17. Sicut
 etiam id fit in aliis vaticiniis. Luc. XXIV: 44. sqq.
 Pf. XXII. p. 18. Inprimis confertur Phil. II: 9. sqq.
 §. 19. Alia exhibetur interpretatio. §. 20.

§. 1.

Locis Joh. III: 16. & XII: 32, 33. qui-
 bus Christi crucifixio ὑψώσεως nomi-
 ne venit, aggregandus omnino est,
 qui apud eundem Evangelistam cap.
 VIII: 28 occurrit, Ὅταν ὑψώσῃτε τὸν
 υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. Ad quae verba Augustinus
 (a) Exaltationem dicit passionis, non glorificatio-
 nis, crucis, non coeli; quia & ibi exaltatus est,
 quando pependit in ligno. Sed illa exaltatio hu-
 miliatio fuit. Sed & alia adsunt loca, in qui-
 bus se eandem loquendi formulam depre-
 hendisse viri docti visi sunt. Sic Luc. IX: 51.
 cum dicitur συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας τῆς ἈΝΑ-

ΔΗ-

(a) Vide Swiceri Theol. Eccl. pag. 285.

ΑΗΥΕΩΣ αὐτῶν. Daniel HEINSIUS in exercitat. in N. T. ad h. l. existimat per ἀναληψιν ejus πλειωσιν & mortem significari. Sed nihil causae video, cur a receptâ versione heic discedamus, quae de adscensione in coelum agi putat. Sane cum de illa agitur, ἀναληψεως vox tantum non semper adhibetur. Sic 2 Reg. II: 11. de Elia dicitur ex versione των LXX: ἀνεληφθη Ἡλις εἰς τὸν οὐρανόν. Ita de Christo dicit Lucas simpliciter Act. I: 2. ἀνεληφθη, in altum receptus est, quod Marcus C. XVI: 19. exprimit per ἀνεληφθη εἰς τὸν οὐρανόν, & Paulus 1 Tim. III: 16. per ἀνεληφθη ἐν δόξῃ. Sic Christus a Luca Act. I: 2 dicitur ἀναληφθη. & vers. 22. memoratur ab eodem ἡ ἡμέρα, ἣς ἀνεληφθη ἀφ' ἡμῶν, quam idem in nostro loco dixerat ἡμερῶν τῆς ἀναληψεως αὐτῶν, i. e. adscensionis in coelum. Unde & festum adscensionis Dominicae ἡ εὐρη τῆς ἀναληψεως & ἡ ἀναλήψιμος τῶν Σωτηρῶν πανδημῶν εὐρη veteribus dictum est.

§. 2. Apud Esaiam nostrum occurrit pariter alius locus, quem huc quoque referri ab aliis video. Scribit enim Ludovicus CAPPELLUS in comm. ad Es. LIII. Cap. (b) vs. 8 esse, qui non absurde hic observent voce נִשָּׂא tacite innui genus mortis Christi, quo in crucem sc. sublatus est de terra. Vocem enim נִשָּׂא hanc interdum habere significationem, ut significet tolli in altum

(b) In ejus Operibus Amst. 1689. in f. impressis p. 49.

altum, ut 2 Reg. II: 11. Viderique omnino illud confirmari ex dictis Christi Joh. XII: 41. III: 14. Id ipsum dici posse innui voce נָשָׂא, qua usi sunt in hoc loco LXX. interpretes, quomodo & usurpatur ἐπάναθη Act. I: 9 ubi agitur de Christi adscensu in caelum. Haec nihil aliud probant, quam תָּקַל notionem habere evectionis in altum, quo nihil est certius, nihil autem habent, quo in hoc loco ad exaltationem Christi in cruce respici, evincatur. Sed dabitur nobis prope diem locus sensum hujus versiculi excutiendi diligentius.

§. 3. Sufficiant itaque nobis tria illa ex D. Johanne producta loca, ex quibus constat depressum Christi in cruce statum vocibus evectionem designantibus quoque significatum esse. Illius autem prima fronte inusitatae locutionis nunc rationes reddendae sunt. Sunt, qui primario heic respici putant ad vexillorum elationem, de qua voces רוּם & נָשָׂא adhibentur (c) Es. XV. 12. XLIX: 22. LXII: 10. Non infitias ivero & hunc respectum non esse excludendum, sed id fieri imprimis existimo, non tunc, quando agitur de Christi elevatione in crucem, sed de illa, qua per verbum Evangelii praedicatus gentibus,

Class. VIII. Fasc. VI. Uuu iis

(c) Vide Martini de ROA singul. T. I. L. I. C. I. A. *Boottium* animadvers. sacr. L. I. c. 7. Jac. BRUCKERI diff. de Jesu signifero in cruce exaltato, quae est in *Miscell. Lips.* T. X. obs. 207. p. 99, sqq.

lis objectum fidei, venerationis, & cultus factus fuit.

§. 4. Quin alia nobis ad manus sunt, quae rem omnem in aprica collocare luce valent. *Primum*, (A) Ipsa natura rei docet cruci convenire ὑψωσιν. Illi enim infausto ligno qui affigitur exaltatur, & tanquam ἀδειγμὸς conspiciendum praebetur omnibus, ut habeant reliqui, quod paveant. Unde vulgatum est crucibus tribui altitudinem. Artemidorus Oneiroc. L. II. c. 58. Σταυροῦται ἀγαθὸν τῶ πενήτι, καὶ γὰρ ὑψηλὸς ὁ σταυρωθεὶς Bonum, ait, esse pauperi si somniat se crucifigi, cur? quia ὑψηλὸς ὁ σταυρωθεὶς: quia, cum crucifixus sit factus sublimis, id ei evectionem significet. De Regulo SILIUS Italicus L. II.

*vidi cum robore pendens
Italiam cruce SUBLIMIS spectares ab
ALTA.*

Inde crux Christi vocatur ἔπιθροσ αὐτῆς alta, sublimis Nonno ad Joh. XIX: 28. Unde dicuntur *adscendere*; apud Prudentium *adscendimus*: Uti e contrario, qui cruce liberabantur, dicuntur inde *descendere*. Uti Matth. XXVIII: 42. Ἐμπαικται Christo ogganiebant; Καταβατω νυν ὑπο τῆ σταυροῦ. Hinc putarunt quidam, licet minus apte, σταυρον dici ἐκ τῆ εἰς αὐραν ἰσαοθαι.

§. 5. Observandum autem est probe, (B) non potuisse fere aliter Sospitorem nostrum

strum loqui. Mirum saepe cuiusdam videri
 posset, quomodo fieri potuerit, ut, cum crux
 Christi sit unicum fidei, spei, consolationis,
 & gloriae nostrae fundamentum, unica scatu-
 rigo, in veteris instrumenti libris nusquam
 dicatur expressis & disertis verbis, *Messiam*
crucifixum iri. Sed ejus rei rationes apertae
 sunt & idoneae. Nam divini vates id facere
 neque potuissent, vel si voluissent, vel volu-
 issent, vel si potuissent. Non potuissent id
 facere, vel si voluissent, quia nullum in Ebrai-
 ca lingua occurrit vocabulum, quo dirum
 illud atque infame crucis supplicium accurate
 exprimi possit, quod illud inter eos prorsus
 ignotum atque inusitatum esset. Neque
 voluissent id facere, vel si potuissent, quia alias
 nunquam talia vaticinia impleri, neque Chri-
 stus adfigendus cruci fuisset. Quid enim?
 si apertis verbis de Messia dictum fuisset, *Is*
crucifigetur; putas ne Judaeos tam vaecordes
 atque amentes futuros, ut tanto impetu
 Christum ad crucem rapi postulavissent?
 Verendumne illis merito fuisset, ne vel ipsi
 suis facinoribus confirmatum ivissent Christi
 Mesiatum, si eo supplicii genere eum affecis-
 sent, quo eum adfectum iri tam manifestis
 verbis indicaverant Prophetae. Id, sane
 ipsa ratio omnium prophetarum postulat, ut
 eventura annuntientur talibus verbis, quae
 prima quidem fronte non rem omnem aperte
 indicant, ita tamen, ut scrutantibus accura-

tius & ad omnia adtendentibus ea iis revera indicari, quae indicare debent, pateat. Quod si autem id unquam aliàs, ita certe circa praedictiones quae de Christi CRUCE agunt, omnino obtinet. Praedicta illa satis superque est passim, sed iis phrasibus, quae rem describerent potius, quam nudis verbis exprimerent. Ita cum dicitur *calcaneum ei perforandum, instar cadaveris tractandum, & manus pedesque ei perfodiendos, extensum iri, ita ut omnia eius ossa dinumerari queant, perforandum cum summo dolore, ita ut mors sequatur, profanum, leprosum, maledictum habendum, exemplari poenâ afficiendum, & quae sunt id genus longe plura quis non inde facili negotio terribilissimum omnium, dirissimumque crucis supplicium esse accurate descriptum intelligat?*

§. 6. Ad has phrasès quoque adjicienda est illa, qua Christus ter usus est, *σημαινω ποιω θανατω ημερων αποθνησκειν*. Revocemus itaque nobis in memoriam vocem illam, qua Christum usum esse valde fit probabile, sc. *הרף*. Ea in lingua Ebraeorum notionem habet *extollendi, elevandi in altum*, ut patet ex Ps. CXLV: 14. & CXLVI: 8. Apud Chaldaeos autem eadem significatio *elationis* saepe quidem numero obtinet, ita tamen ut etiam pro poena suspendii capit ali sumatur, quod constat ex Targum Esth. VI: 4, VII: 10 & IX: 13. (d)

(d) Observavit id jam pridem magnus BOCHARTUS Hieroz;

quemadmodum jam eo sensu venit Chaldaicè
 Esdr. VI: II. Hinc inter voces, quae notant
 patibulum, זקיפא quoque recenset R. Elias
 Levita in Thisbi suo p. 30. עץ של תלייה
 מתירגמן בשלש לשונות צליבא, קיסא, זקיפא:
Lignum suspensionis (id est, patibulum) *tribus*
vocibus Chaldaice explicatur צליבא, קיסא, זקיפא.
 Pariter R. Salomon ben Melech in מכלל יופי
 interpretatur עץ זקיף *arborem suspensionis*
 עץ לתלייה שיחלה עלי, *in qua suspendatur*
 violator mandati regii. Apud interpretem
 Syrum semel tantum in loco 2 Tim. IV: 15.
 habet גומ elevationis notionem, at plus
 quam *quingagesies* suspendii & crucifixionis,
 ut concordantiae docent. Immo nunquam
 de infami, quam Christus sustinuit, poena
 apud illum sermo est, quin semper, quantum
 observare potui, ea vox occurrat. Hinc uti
 Chaldaeis זקיפא, ita Syris גומ. Matth. X:
 38. XVI: 24. XXVII: 32, 40, 42 & passim
 alibi crux est. Atque illâ, neque vix aliâ voce
 usum fuisse Servatorem nostrum, quoties
 mortis suae mentionem fecit, persuasum mihi
 est omnino. Neque solum haec ita dici potuit
 propter exaltationem, quae cum crucis sup-
 plicio conjuncta est, verum etiam, quod זקף,
 Uuu 3 quae

Hieroz. T. II. L. III. c. 13. illustravit autem pluribus
 Vir multorum in rem literariam meritorum Christ.
 CELLARIUS in programm. Lips. a. 1689. editis
 progr. 5.

quae incurvationi opponitur, notet extendere corpus, nervosque explicare (Confer. Ps. XXII: 15, 18.) quod in crucifixione prorsus locum habet. Si vera est observatio, quam Jacobus GUSSETIUS in *Commentario linguae Ebraicae* pag. 232. tradit. Cum itaque Christus Chaldaico - Syriaca dialecto uteretur, neque magis apud Chaldaeos, Syros, quam apud Ebraeos vox in usu esset, qua proprie & manifeste crucis exprimi supplicium posset, haud sane mirum est, si talem adhibuit vocem, quae simul & exaltationis & suspendii sive crucifixionis gaudebat significantiâ.

§. 7. Quae etsi plana sunt, & perspicua, aliae tamen etiam rationes hujus phraseologiae afferri possunt. (C) Ad suspensionem illam aenei serpentis in deserto à Mose factam a Christo alludi vulgatum est, & verbis Joh. III: 14. extra omnem dubitationis aleam collocatur. In primis autem (D) respici illa phrasi puto ad V. T. sacrificia, mortem Servatoris adumbrantia. In illis enim plus una exaltationis species locum habuit. Fiebant olim, ut plurimum in editis collibus vel montibus. (β) Templum ipsum Hierosolymitanum in editissimo situm erat monte, uti altare in editiore templi loco. (γ) Altaria in altum erecta erant, in quae vel gradibus vel tumulis in acervum congestis adscendendum erat. Sic ara aenea templi Salomonis alta erat cubitos decem, & inde altaribus datum est nomen

במות, quod Graecorum est βωμῶν, uti & hinc Latinorum ALTARE suam traxisse appellationem videtur. (δ) Elevabantur praeterea sacrificia, quoties agitabantur. Inde holocausta à עלה dicta sunt עולות, quasi diceret, ὕψωσις, ἀναβάσις, docente id Kimchio בקרא קרבן הזה כן לפי שהיה עולה, כלו כליל על המזבח. Ita vocabatur sacrificium, quia totum quantum in altare adscendit. Inde etiam ara tabernaculi possim vocatur מזבח העולה, ara elevationis, sive adscensionis. Huc spectant etiam תנופות & תרומות, agitationes & EXALTATIONES sacrificiorum, quae מוריד, ומעלה, ומוריד, מוליך ומבוא, horsum, versum, SURSUM & deorsum fiebant. Inde dicta sacrificia תרומות, à רום, quae eadem vox est, quam Esaias in hoc loco adhibet, quando de Messia dicit ירום: Denique (ε) tota sacrificia, quanta, quanta erant, adscendebant in altum per fumum, qui sursum ferebatur. Ne nunc (ζ) loquar animalia, jugi sacrificio destinata, jugulataque detractâ cute ad latus altaris septentrionale columnis, in quibus unci ferrei haerebant, affixa & suspensa. Ne memorem (η) agnum paschalem quem veru transfixum in formam crucis in alto pendisse, retulit Justinus Martyr, aliique è gente recutita. Hinc sacrificia dicuntur ἀναφερεσθαι, in altum tolli Ebr. XIII: 15. Et huc alludit Apostolus Petrus i Epist. II: 24. quando testatur quod Christus peccata

nostra ἀνηνεγκεν ἐπὶ τὸ ξύλον, *sursum tulit, in ligno*, sc. tanquam in arâ & quando ejusdem capitis vs. 5. fideles docet esse *ἱεραπευμα ἅγιον* ἌΝΕΝΕΓΚΑΙ πνευματικὰς θυσίας. Ejusque exaltationis sacrificiorum, in ara, & suspensionis in cruce una eademque ratio erat. Videlicet ut utrumque omnium oculis proponeretur εἰς ἐνδειξὴν τῆς διημοσύνης τῆς Θεοῦ.

§. 8. His accedit, (E) quod tametsi, cum Christus infelici trabi affigeretur, ad imum τῆς ταπεινώσεως gradum descenderit, eoque tamen tempore exaltatus fuisse dici possit commode. Idque ob arctissimum nexum, mutuatque velut ἐμπεριχωρησιν, quae inter crucem ejus & gloriam intercessit. In cruce enim victor fuit, atque *Triumphator necis, & pallentis Averni*. Hujus scalae gradibus ei adscendendum erat in coelos. Fundamentum & causa futurae exaltationis erat ejus humiliatio extrema. Hâc viâ ad illam erat transseundum. Hâc ad illam jus sibi impetravit & meritum. Immo in hâc illius veluti symbolum & pictura quaedam conspiciebatur, ita ut qui in cruce elevatum Messiam cernerent, imaginem sibi quasi Messiae ad dexteram Dei mox elevandi cernere viderentur. Quam vilis enim & abominanda crux erat, tamen cum in ea penderet Rex gloriae, gloriae suae radios circumquaque spargebat. Erat enim & tunc REX, qualem vel inscius & invitus epigrammate suo tribus linguis decla-

declaravit iudex ejus Pilatus, & professus est
 cum maxime, tum ejus ignominiae, mox
 gloriae futurus consors, Latio. Immo se &
 Dei esse Filium, & coeli Dominum, cui claves
 Paradisi essent concrediti, ipse declarabat.
 Quin & tunc & coeli & terra, & sol, & tem-
 plum, & hiantia sepulchra, & tremefactae
 rupes majestatem ejus elevabant. Et ita in
 imum locum depressus elatus simul erat quam
 altissime. Confirmabo haec & illustrabo
 verbis celeberrimi LAMPRII nostri, quem &
 amoris & honoris causa nomino, quibus usus
 est in praestantissimo in Joannem Commen-
 tario T. I. p. 602. „Certe, inquit ille, inter
 „binas exaltationes adeo arctum intercede-
 „bat vinculum, ut prior non solum esset gra-
 „dus ad posteriorem, sed unaquaque alte-
 „rum involvebat. Exaltatio in cruce figu-
 „ra, jam & praeludium erat exaltationis in
 „gloria. Hinc Paulus Col. II: 15. ait Chri-
 „stum *exuisse principatus & dignitates de cae-
 „lestibus & in caelis*. Et ab altera parte in
 „ipsa gloria *perforatum suum latus* ostendit
 „Zach. XII: 10. Apoc. I: 7. ac in *medio throno*
 „*stat instar agni macerati* Apoc. V: 6. Totum
 „Evangelium, quod post adscensum praedi-
 „cari vult, est *praedicatio Crucis* 1. Cor. I:
 „23. II: 2. “

§. 9. VI. Denique sanctissimus Dominus
 noster humiliationem suam appellando *υψω-
 σεν* respexisse omnino mihi videtur insignem

hunc Esaiæ locum, quem Cl. STENGELII cura illustratum legimus. Vix enim aliquis in veteris Codicis volumine reperitur locus, in quo tam diserte de exaltatione Dominica sermo sit, quam quidem in hoc. Sicuti & statim vs. 30. alius ex Es. LIII. 1. allegatur. Id si autem factum est a Domino, sequitur, ab Esaia quoque ἰψῶν, quae cum summa ταπεινότης conjuncta fuit, indicatam fuisse. Quia scilicet servator noster de tali, & non alia sermonem instituit. Subscribo itaque doctissimi STENGELII, sententiae, qua verbo ירום Christi crucifixionem denotatam præcipuo loco autumat. Neque in eam hodie demum, aut nudius quartus ingressus sum, sed jam diu eã & mente volvi & publice proposui, miratus saepe numero, me illam apud interpretes reperisse nusquam. C. VITRINGA, P. generatim ab ea non alienus fuisse videtur. Nam in praefamine, quod Henrici TEELMANNI commentario in quasdam parabolæ edito Amst. 1695. 4. præfixit, cum dixisset in loco Joh. XII: 32. per illam ἰψῶν, de qua servator loquitur, acerbissimos simul crucis dolores juxta cum illa majestate ad quam per illos contendit, intelligendos esse, ita pergit. *Hoc mihi tanto est persuasum magis, quanto clarius video Dominum hac phrasi respicere ad locum Es. LII: 13. qui priorem sensum non minus, quam posteriorem postulare videtur.* Idem
 con-

confirmat in *Observ. S. L. II. c. IX. §. 30.* Illam tamen opinionem veluti dictorum oblitus, mutavit deinceps. In commentario enim ad hunc Esaiæ locum scribit. *Esaiam exaltationem gloriosam SOLUMMODO in oculis habuisse in his verbis, ut ex contextu sane liqueat.* Heic vero δευτεραι φροντιδες prioribus non videntur fuisse σοφωτεραι. Priorem tamen sententiam Præceptoris sui retinuit, quem laudavi, omni laude dignissimus LAMPIUS noster in peregregio illo ad Joannem Commentario T. I. p. 602. Recte omnino agunt, viri pereximii, quando Christum Joh. III: 16. XII: 32. in oculis habuisse hoc Esaiæ Vaticinium judicant. Non tamen in eo me habent assentientem, quod apud Johannem etiam directe à Christo exaltationis suae statum innui putant, cum contrarium optimus ipse interpres D. Johannes c. XII: 33. omnia ad *solam mortem* ejus referens doceat, & populum sermonem illum Christi audientem non aliter intellexisse ex iis, quae comm. 34. sqq. leguntur, constet. Uti vero illi generatim tantum tribus illis verbis Esaiæ statum Christi depressum involvi autumant, ita & specialius crucem Christi prima voce ירי indicari, uti à Cl. Stengelio ostensum est, ita ad illud confirmandum nunc nonnihil adjungere liceat.

§. 10. Ipsa vox ירי nos quasi manu huc ducit. Nam primo (1) cum notet *exaltare,*
fecit

fecit adscendere meditandum tibi propino,
 numne illa voce generaliter mors Christi in-
 dicari queat. Sane עלה ita sumitur Job.
 XXXVI: 20. & Ps. CII: 24. אל-תעלני בחצי
 ימי Non facies me adscendere in medio dierum
 meorum; O. O. transtulerunt με ἀναγαγῆς
 με, non duces me in altum. J. DRUSIUS
 animadversionum L. II: c. 36. ita scribit;
 „Hoc in Ebræorum libris verbum e verbo
 „invenimus, NE ADSCENDERE FACI-
 „AS: praeclare; Nam ut abire est mori, sic
 „adscendere usurpant in mortis mentione,
 „vel quia anima sublimis abit, nempe ad
 „Deum, qui eam dedit, aut, quia adscen-
 „dere est perire, excindi, evanescere, ut
 „Job. V: 26. & Exodi XVI: 14. & adscen-
 „dit cubatio roris vel sane metaphora est
 „ab holocaustis, quae Ebraice OLOTH ab
 „hoc verbo, quod in fenum adscendant.
 „Huc refer ex Joh. XII: 32. ἐὰν ὑψώσω ἐν
 „τοῦ γῆς vult dicere, si mortem obiero. Sane
 & alibi עלה pro exstingui, evanescere, inter-
 ire, vastari sumitur v. Es. V: 24. Jer. XLVIII:
 15. Ezech. XI: 23. 24. Nah. II: 7. Zach. XIV:
 13. Chaldaei sane vocem ut plurimum ver-
 tunt per סלק, quae tamen eadem & desi-
 nere, perire, finem habere notat, unde vul-
 garis Rabbiorum formula, סליק ספר, fuit,
 explicit, desinit liber. Atque eadem voce
 utuntur in Targum citati loci Ps. CII: 24.
 Idque ad rem ipsam accommodate; Nam,
 si

si quae res effertur, eo ipso è sede sua, quam vacuam facit, tollitur. Hinc Heinſius, ἀναληψιν apud Luc. IX: 51. pro morte sumi putabat, ut supra monui. Gentiles etiam ἀναλαμβάνεσθαι de morte usurpabant, uti patet ex verbis ANTONINI Imp. L. IV. §. 14. cujus rei ratio est, quod de eo quoque, quod Salomon in ecclesiaste XII: 7. docuit, persuasi essent, sc. per mortem pulverem redire in terram, spiritum autem reverti ad Deum, qui dederat. Cujus rei testimonia disertata ad Antonini L. VII. §. 50. collegit T. GATAKERUS. Ex eodem fonte interpretatur Aben-Efra illud כי לנשמה העליונה שהוא משמי השמים ובהפרדו Anima adscendit, quia est orta e caelis coelorum, & Paradiso.

§. 11. Porro non solum (2) רום ut עלה generaliter mortem, sed & infame mortis genus, suspendium significare potest specialius. Ita רום permutatur cum זקף a Chaldaeo interprete Ps. CXLVIII: 14, qui ירם, quod in Ebraeo est vertit per זקף; Hanc autem vocem idem denotare, ac suspendere demonstratum est abunde. Et eadem ratio est vocis נשא quae vel ipso hoc commate occurrit. Josephus enim Patriarcha malam crucem Pincernae illi ominaturus dicit; Pharao ת-ראשך ישא elevabit caput tuum Gen. XL. vs. 13. quod LXX. transferant κρεμασει σε ἐπι ξυλα, suspendet te à ligno, sicuti

ti & deinceps vs. 22. explicatur per חלה, suspensus est, uti ei Josephus praedixerat. Cujus rei ratio est, quod sine exaltatione eo puniri supplicio nemo potest.

§. 12. Praeterea (3) רום significat *sublationem* ex loco, eamque *violentam*. Quomodo saepe notet ex acervo congesto aliquid tollere & surripere docet Jac. GUSSETIUS in Lexico; qui videri potest. Notemus tantum Lev. VI: 3. (vel 10.) sumitur de cineribus ab altari auferendis everrendisque. Sic Jes. LVII: 14. de tollendis viarum impedimentis capitur, ubi Lutherus utitur voce Germanica Räumen, cui cum Ebraica הרִימו & literis & significatione convenit. Ita Ezech. XXI: 26. (vel. 31.) violentiae plenissimam coronae oblationem significat, & permutatur cum הסיר, quae remotionem plenam indicat. Apud eundem Cap. XLV: 9. de remotione oppressionum populi sumitur. Hinc LXX. Interpretes הרִים non solum vertunt ἀγειν Jos. IV: 5. Es. XLIX: 22. LVII: 14. sed & ἀπαγειν Ezech. X: 4. 15. ἀναγειν Num. XVI: 37. ἀφαγειν Ex. 29: 27. Lev. II: 9. IV: 10. VI: 10. 15. XXII: 15. Num. XV: 17. 19. XVIII: 19. 26. 28. 39. 30. 32. XXXI: 28. 52. μεταγειν Lev. IV: 8. 20. ἀφοσειν Num. XVIII: 24. Ezech. XLV: 1. 13. XLVIII: 9. 20. In quibus locis maximam partem *sublationis* aut *remotionis* significatus obtinet. Eodem sensu Syrus ea

voce utitur, sic Marc. II: 4. *οὐδὲ* est *ab-*
stulerunt & sumitur de tecto domus remo-
 to. Et Luc. V: 35. ubi de sponso dicitur *ἀπαρ-*
θῆναι, quae vox violentae ablationis notionem
 complectitur Syrus habet *ܘܢܠܠܐ*. *ܘܢܠܠܐ*
 itaque eodem modo, ut ceu visum est, *עלה*
 & *אשא* (e) apud Ebræos, *קלט* apud Chal-
 daeos, *Tollere* apud Latinos & *ἀίρειν* apud
 Græcos non solum evectionis in altum,
 sed & *ablationis*, & remotionis continet
 significantiam; Certe *ἀίρειν* est aliquando e
 medio & è terra viventium tollere, i. e.
 occidere. Hesychius explicat *κατὰ κρατῶ-*
λαμ-βανειν. Eo sensu turba, quae, Paulus,
 cum in castra abduceretur captivus, clamabat.
ἄιπε αὐτον, ac deinde *ἄιπε ἀπο τῆς γῆς τον τοιζ-*
τον. Act. XXI: 36. XXIV: 22. Inde Judæi
 Christum ad infame lignum crucis flagitan-
 tes, clamabant *παμπληθει*. *ἄιπε τῆτον*, *TOL-*
LE illum apud Luc. XXIII: 18. Quod idem
 deinde expressit una cum Evangelistis reli-
 quis per *σταυρωσον αὐτον*; *Crucifige* illum.
 Ita ut tollere hic idem sit, quod *crucifigere*.
 Quae omnia cum doceant & *exaltationis* & *ne-*
cis & *sublationis* violentae, & *suspendii*, si-
 gnificationes, quæ omnia cum crucifixione
 conjuncta sunt, heic concurrere, non aptius
 vocabulum ad illud supplicii genus deno-
 tandum adhiberi potuisse simul patet lu-
 cy-

(e) Ita haec vox videtur sumenda Ps. CII: 11.

culentissime. Quibus & hoc addimus Sy-
rum in tribus illis locis Joh. III: 14. VIII:
28. XII: 32. ubi de cruce Christi sermo est,
ubique vocem כִּי usurpare. Ita ut hic lo-
cus adjungendus omnino sit illis oraculis, qui-
bus supplicium crucis, quod servator noster
passus est, clare praedictum fuit.

§. 13. Quibus observatis nunc facilis erit
responsio, quae detur Davidis Kimchii ob-
jectioni, quam producit in comment. ad
Es. LIII: 4. quamque Eduardus POKOCKI-
US ex editione ejus Pisarenfi, & manu-
scripto codice affert in adnotationibus ad
Portam Mosis pag. 332. cum ea in reliquis
Kimchii editionibus Basileensi & Venetis
omissa sit. אמור להם איך אמר ישכיל ירום
ונשא ונבה אם על הבשר לא נשא ולא נבה
אלא על העץ שתו אותלו בו ואם על מאלהות
: *Objicies ipsis,*
(scilicet הנוצרים, *Christianis*) Prudenter
aget, sublimis erit, exaltabitur, excelsus
erit, *si de carne i. e. natura humana dicatur,*
non fuit exaltatus neque elevatus, nisi in ligno,
quo suspensus est; si autem de divinitate, tunc
a principio fuit altus & sublimis. Verum
enim vero si cogitasset: doctissimus Ju-
dæorum grammaticus ipsum illud ירום com-
modissime crucem Christi indicare, perspe-
xisset facile, haec omnia Messiae convenire
apprime & qui crucifixus est, & qui ut De-

us omnem gloriam ab aeternitate omni habuit, & qui ut homo post mortem ad summum majestatis fastigium adscendit.

§. 14. Porro in hoc loco *παπεινωσιν* aequae, ac *των ὑψωσιν τε σωτηριᾶς ἡμῶν* per passiones consummati contineri, illud ipse situs ac cohærentia verborum confirmant. Videor mihi enim commate hoc XIII. contemplari summam veluti, ac compendium eorum, quae per insigne hoc vaticinium ad caput usque LIV. proponenda erant. Videlicet *generatim* acturus erat & Messias *sapienter & feliciter*. Quae genuina vocis *שכיל* significatio est. Idque percommode. Is enim sapienter & prudenter agit, qui verum, seque dignum finem sibi ob animum proponit, iisque ad eum adsequendum convenientissimis utitur mediis, quibus ille obtineri optime queat. Id autem, qui fecerit, cum voti sui non possit non compos fieri, prospero gaudet & felici rerum suarum successu. Unde *sapientiae comes est felicitas*. Utraque Messiae sermo Dei adscribitur verbo *שכיל*. Is summam sibi gloriam, tanquam actionum suarum scopum proposuerat sibi. Quum autem non alia (vi aeterni decreti, foederisque, quod cum eo Pater in consilio pacis pepigerat, quod cap. LIII: 10. vocatur *חפץ יהוה*) ad consequendum illum finem via esset, quam per dolores, ignominiam, crucem, ita ut per *aspera AD*

ASTRA, per *ANGUSTA AD AUGUSTA* penetrandum illi esset, illam sibi quoque sequendam esse duxit. Hoc autem innuit divinus Vates, cum primo generaliter asserit, eum acturum *PRUDENTER* pariter & *PROSPERE*, tum specialius qua ratione eum in modum egerit, ostendit; nimirum, per crucem adscendendo ad gloriam & decus. *Exaltabitur* primo in cruce, quo nomine omnes ejus passiones intelliguntur. Sed haec ignominiosa ac dolorosa exaltatio via erit & medium ad laetam illam ac gloriosam exaltationem obtinendam, per excitationem è mortuis, adscensionem in caelos, & reliqua, quae mox commemorabuntur. Et hoc est, quod deinceps C. LIII. vs. 10. indicatur, quando ratio, ob quam semen habiturus, diesque illi prolongandi essent, haec traditur, quod חפץ יהוה בירו יצלה, quod beneplacitum, voluntas, decretum Domini ejus manu & opera feliciter processit.

§. 15. Quae cum sint argumentum totius a Propheta instituendae tractationis in ipsa vaticinii fronte propositum, ea deinde singulatim per partes in sequentibus exhibentur. Ad *primam* exaltationem pertinent quae dicuntur Cap. LII. vs. 14. parte priori. LIII. vs. 2--10. 12. p. post. Ad *secundam*, LIII: 8. 10. 11. Ad *tertiam* LII: 15. LIII: 12. p. pr. Connexionem autem, quod sc. ita agen-

agendo & patiando & *prudenter* egerit, & simul *feliciter* invenimus commate 10. p. post. & in iis, quae dicuntur vs. 11, 12. quae connectuntur per particulam causalem לכן.

§. 16. Praeter hæc considerandum rerum sacrarum perito Lectori offero, ane etiam duae illae voces נשא ונבה separatim sint sumendae, quò omnia, quae ad statum gloriosum, plenumque majestatis Sospitatoris nostri per omnia tempora faciunt, huc, sed distincte referantur. Neque enim credendum est tres illas voces dicis causa tantum congestas esse aut לפי שמעלתו תהיה בעלה יתרה quod ejus *exaltatio futura esset supra modum excellens*, ut loquitur Kimchius; Sed haud dubie verba vaticinii hujus incomparabilis in summa sumenda sunt emphasi, singulis verbis distincti sunt adscribendi sensus, nihilq; credendum est nequidquam a divino vate allatum esse, neque, quidquam negligendum esteorum, quae verbis ipsis contineri constat. Veluti itaque priori voce נשא indicantur ea, quae ad Christi gloriam quidquam contulerunt usque ad ejus è terra discessum, ita sequenti voce נבה ea videntur innui, quae ad summum illud dignitatis & exaltationis fastigium pertinent, ad quod post ejus in coelos reditum adscendit, quodque tuiturus est, donec ad judicandum vivos & mortuos in terras revertetur. מאד

autem aequalem videtur ad omnes & singulas tres illas, quae antecesserunt voces, relationem habere, quasi scriptum fuisset נבה מאד, נשא מאד, ירום מאד.

§. 17. Cum itaque priori phrasi dicitur exaltatus נשא; significatur (1) caelos ipsi gloriam duros, cum in cruce emerit, quod factum est, cum sol tenebris involveretur, toaque rerum natura ei & innocentiae & divinitatis exhiberet testimonium. (2) Ex morte esse resuscitandum, (3) in caelos evehendum. Ita phrasi sequenti indicantur sequentia. (1) Ad dexteram Patris sui collocandum. (2) Sp. S. ab eo effusum iri, id enim huc per omnem modum pertinere clarissime ex verbis D. Petri constat Act. II: 33. 34. 35. 36. (3) Judicium in hostes, rebelles praesertim Judaeos exercendum. (4) PRAEDICATIO evangelii inter gentes una cum illarum ad eum conversione, quando ut noster Propheta vs. 15. ait; *adsperget populos multos, ita ut illi, quibus nihil narratum erat, sint visuri, & qui nihil de eo audiverant, sint intellecturi*; Atque hanc quoque loco primario heic designari puto. (e) (5) Victoriae de hostibus suis, illo imprimis ita dicto καὶ ἑξοχῆν Diabolo, reportandae, quae annuntiantur Cap. LIII. vs. 12. (6) Latissimum imperium in gentes sibi terrarum orbem sub-

(e) Eandem etiam huc referunt Nicolaus de Lyra & Lucas Burgensis.

subjectas. Quibus, si quis (7) ultimo loco adjungere voluerit ejus adventum in nubibus ad postremum exercendum judicium, nihil habeo refragari.

§. 18. Uti autem haec sunt caput & continentia perinclutae illius, quam Esaias Veteris Testamenti Evangelista dedit, prophetiae, ita & omnium, quae de Christo unquam edita sunt, vaticiniorum. Ipse id condocuit Apostolos suos Salvator, cum in eo esset, ut gloriam sibi destinatam ingrederetur & capefferet, apud Lucam XXIV: 44. sqq. Explicaturus enim πάντα τα γεγραμμένα ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως, καὶ προφηταῖς, καὶ ψαλμοῖς περὶ αὐτοῦ, ad tria haec capita refert omnia, *passiones*, *resurrectionem*, *praedicationem* gentibus annuntiandam. Ita enim l. c. loquitur. Ὁὗτω γεγραπταί, καὶ οὕτως ἴδου (κ) παθεῖν τὸν χριστὸν ἰ. e. כרי' (ב) καὶ ἀναστῆναι ἐκ νεκρῶν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, ἰ. e. κ'ψ' (ג) καὶ κηρυχθῆναι ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ μετανοοῦσαν καὶ ἀφεσὶν ἁμαρτιῶν εἰς πάντα τὰ ἔθνη ἰ. e. נב'. Hujus rei exemplum vel esse potest Psalmus vicesimus secundus, ubi sine dubio quæ leguntur inde à vs. 1--21. referenda sunt ad primam exaltationem in cruce. Ad alteram autem pertinent, quæ occurrunt inde à commate 21. ad 27. Quæ autem adjunguntur inde a versu 27. usque ad finem, clarissime referenda sunt ad ea, quæ ad tertiam

tiam exaltationem Mesſiae pertinere dixi. Et cum his conferenda omnino ſunt Act. II: 33. V: 31. Eph. I: 20. 21. 22. Ebr. I: 3. & alia loca.

§. 19. Eadem quoque conjungit Apoſtulus ad Philipp. II: 9. ſqq. qui locus, uti noſtro plane παραλληλόν est, ita & eum mirifice illuſtrat. Cum ſc. Eſaias (α) Meſſiam vocat נבֿי id Paulus ita παραφραζει. Ἐαυτὸν ἐκένωſε μορφῆν ΔΟΥΛΟΥ λαβὼν ἐν ὁμοιωματι, ἀνθρώπων γενομενόν, καὶ ſχηματι ἕρεθεις, ὡς ἀνθρώπον, v. 7. 8. Quando (β) apud Prophetam Salvator dicitur ירוֹם, exaltatus ſc. in crucem, id Paulus hunc in modum interpretatur γενομενόν ὑπὸ κροῦ μετὰ θανάτου θανάτου δὲ ΣΤΑΥΡΟΥ v. 8. Cum (γ) illi dicitur κωῶν. Id huic est, καὶ ὁ θεὸς αὐτὸν ὑπερυψώſεν, v. 9. Illud vero (δ) נבֿה adhuc interpretatur uberius his verbis. Ἐχαλεσατὸ αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πάντων ὀνοματα. Ἴνα ἐν τῷ ὀνοματι Ἰησοῦ πάντων γόνου καμψῆ ἐπιβραβίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων. Καὶ πάσαι γλῶſſαι ἐξομολογησῆται, ὅτι κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ, εἰς δόξαν θεῶν πατρὸς, v. 10. 11. Denique (ε) & id animadvertendum est Apoſtolum non ſolum dicere ὑψώſε, ſed & ὑπερυψώſεν, ut ſimul exprimeret illam particulam מֵאָל, quam habet Eſaias. Ita ut Paulus optimus & interpres & Paraphraſtes horum Eſaiæ verborum ſit.

הנה עבדי ירום ונשא ונבה מאד.

§. 20. Puto itaque sensum huic vaticinio planum, facilem, & ut scopo totius orationis, ita & aliis scripturae dictis consonum me indicasse. Si tamen quis alia ratione tres illas phrasas partiri ac explicare velit, neque id me invito faciet. Scilicet **ירום** generaliter posset notare Servatoris mortem, & è vivorum consortio sublationem. **נשא** indicaret genus mortis, sive *suspensionem* è cruce, quo sensu **נשא** sumi Gen. XL: 13. supra §. 10. vidimus; Illud autem **מאר ונבה** in memoriam nobis exaltationem Christi, ejusque diversos gradus revocaret, quae tanto excelsior fuit, quo depressior ante ejus humiliatio erat.

Unusquisque heic sensu suo abundet.

ALMONII UTINIS,
 modestissima expositio
 de *Aeternitate mundi extrinseca*
 possibili, ut clarius pateſcat, an
 in poſterum ſit plane explo-
 denda, an retinenda.

SUMMARIA.

§. 1. *Definitio utriusque aeternitatis.* §. 2. *Recenſentur nonnullae claſſes eorum, qui aeternitatem mundo tribuerunt, idque vel ad excludendum Deum, vel ad ſubjiciendum eidem mundum.* §. 3. *Cautè heic eſſe agendum, & materiam hanc poſſe ad raviora Theoremata referri.* §. 4. *Proponuntur argumenta.* §. 5. *Solvuntur ea, qua obſijci poſſunt.* §. 6. *Stabilitur tamen creatio mundi ex nihilo, ante annos circiter 5731. facta, tam ex voce ארב quam ratione.*

§. I.

EXpoſui haud ita pridem * ideam electi divinitus mundi optimi, ſimulque præter ſcopi apicem de æternitate mundi dixi, non improba mente, ſed congruenter ſummorum Theologorum ſententiis, quorum unum & alterum excitavi, ut odium a me averterem, ceteros tacitus præterii, ne naſum habentibus clypeo auctoritatis humanæ obmoto viderer

* V. ſupra pag. 47.

derer contendere. Summe Venerandus
 VIR THEODORUS HASAEUS, quem mi-
 rifice & suspicio & deoscolor, pro ea liber-
 tate, quam petimusque damusque vicissim,
 negantem amplectens sententiam, ideo
 suae mentis rationem de aeternitate mundi
 infra in Nota extare voluit, ut secus sen-
 tientes vel adliceret ad sensum suum, vel
 ad rationes, aequae vel magis ponderosas,
 adigeret expromendas. Absit a me per
 omnem mundum, cum quovis, ullo
 pacto, altercari, tantum abest, ut vel
 unica litterula cupiam Fautorem me-
 um, tot aliis gravioribus curis districtissimum
 laedere. Quidquid heic edisseruero, illud
 omne benevolentiae Ejusdem consecro &
 examini amicissimo subjicio, nil postea
 de hac sublimis quaestionis intricatissima
 materie scripturus, sed potius perspicaciori-
 bus orbis eruditi ingeniis, utcunque de hac
 re sensuri sint, me & Pseudonymam hanc
 tractationem expositurus. Quamvis vero
 nondum sit liquidum, an duplex detur aeter-
 nitas, & an mundo alterutra sit tribuenda,
 definitio tamen utriusque aeternitatis est
 praemittenda, ut intelligatur de cujusnam
 rei existentia agatur. Quod si res ipsa sit
 falsa, tum nec ipsa *aeternitatis contingentis*
definitio erit vera. Nec quicquam elicitu-
 rus sum ex ficta definitione, nisi ubi de ejus
 veritate prius constiterit. Qui de Phoenice
 vel Gryphibus tractant, definitiones vel

descriptiones præmittunt, licet existentia
 sit vel incerta vel falsa. Aeternitas *genera-*
tim sumta est continuatio existentiae, ubi
 nec initium nec finis est. Aeternitas *sum-*
mi gradus & divina est existentiae Numinis
 continuatio necessaria infinitaque tam ratio-
 ne negatae originis quam finis, citra ullam
 partium compositionem & successionem.
 Aeternitas *secundi gradus*, & *imperfecta*, est
 continuatio existentiae in infinitum ratione
 initii procurrens, cujus ratio est in alio, &
 quæ est in composito cum successione &
 mutatione partium perpetua. Qui aliquan-
 do angelis & materiae primæ æternitatem
 tribuerunt, intellexerunt eandem defini-
 tionem, sed sepositis eis, quæ de compo-
 sitione, successione & mutatione fuerunt
 adjecta. Differt igitur æternitas primi gra-
 dus a posteriori 1) necessitate, 2) indepen-
 dentia 3) simplicitate 4) immutabilitate,
 5) successionis defectu & remotione. Ae-
 ternitas secundi gradus, quam ita adpella-
 re liceat, est 1) contingens, & quæ pot-
 est aliter sese habere; 2) dependens ab Ente
 infinito per se subsistente; 3) propria re-
 rum compositarum ratione totius mundi, &
 coalitarum ratione essentiae corporeæ; 4)
 est rerum quovis momento per internam
 dynamin aliumque conatum exferentium:
 5) cum perpetua successione vel idearum
 in spiritibus vel virium in corporibus mo-
 tri-

tricium. Nequis vero putet, hæc tantum esse efficta, ideo contingentia mundi in tuto est conlocanda, ut eo magis inoffenso pede ad arcem causæ nostræ progredi queamus. *Necessarium* est illud, cujus oppositum est impossibile, estque vel *essentiale*, vel *existentiale*. Essentiis omnibus tribuitur merito necessitas, æternitas & immutabilitas, uti & antiqui & recentiores docent P. POIRETUS quidem, J. LANGIUS eorundemque adfectatores heic profitentur novam philosophiam, tradentes, essentias rerum esse arbitrarias, i.e. non necessarias. Sed hoc est impingere in primas cognitionis universæ lineas & in principium contradictionis. Si atheisticare luberet, inde Atheismum materialem seu consequentialem elicere possem. Finge enim, id, quod *aurum* dicimus, a divina æternaque mente repræsentatum esse *non-aurum*. Siccine lapsus esset Deus? Si repræsentavit Deus sibi id, quod *aurum* dicimus, ut *aurum* & simul ut *non aurum*, ergo absolute contradictoria & per sese impossibilia eidem objecto intellectus sui tribuit. Finge porro, Deum repræsentasse sibi aurum nunc hoc nunc alio modo eoque diverso, eumq; id fecisse vel simul vel cum successione. Si simul: tum proxime præcedens redit casus; si cum successione: tum mutatio & successio idearum Sociniana Deo tribuitur. At quia non tantum

tum credo sed etiam scio, intellectum Dei esse necessarium ratione existentiae, simplicissimum, immutabilem & semper eundem, immo perfectissimum & numquam errantem, ideo puto eum semper repraesentasse sibi *aurum, ut aurum*, & sic in ceteris. Anne Poiretus fuit Poiretus & simul non-Poiretus? Poiretus tamen erat contingens, supervacuus, nec necessarius, nisi hypothetice. Ex intellectu vero divino derivamus essentias, a voluntate substantias. Essentiae igitur sunt necessariae & aeternae. Necessitas porro existentialis est, per quam quid subsistit in se & per se, originem sui & rationem ulterius non repetens: At *contingens* dicitur illud, cuius vel existentia poterat differri vel modus existendi variare quibat. Omnia arte facta sunt contingentia, quia eorum α) existentia differri, β) & modus existendi secundum regulas combinatorias indefinitis modis variare poterat. De substantiis naturalibus primo obtutu posterius videtur cogitatu facilius, prius difficilius. At quia modus existendi a modo possibilitatis dependet, & hic in quavis substantia contingenti diversus est, secundum *principium indiscernibilium*, ideo de substantiis iis naturalibus contingentibus omnibus, quarum existendi modus potest cogitari alius & alius, recte adfirmatur possibilitas existentiae differendae. Adde quod eo ipso
 mun-

mundus omnis singulæque ejus partes necessitatem existentiæ in sese non continent, quum sunt *contingentes*. Verum quia contingens causam suæ existentiæ extra se habet, ideo mundus, quia est *contingens*, esse non posset, nisi præter mundum daretur causa alia sublimior, quæ tandem, ne in progressum infinitum incidamus & *rationem sufficientem* deseramus, est necessaria, unica, æterna secundum primum gradum, immutabilis & independens. Nam si progressus causarum efficientium in linea recta adurgeret in infinitum, tum utique ratio sufficiens nulla adesset, citra quam tamen ex more totius generis humani in negotiis facillioribus nihil concedere, adfirmare vel negare possumus. Si mutuam causalitatem eamque circularem contingentibus mundi particulis tribueremus, nihilo secius auctore opus esset, qui produxisset illam mutuam causalitatem, immo qui sustentaret. Nam quomodo aliàs ea, quæ contingentia penitus subjiciuntur, vel existere vel durare continuarique possent? Fundamento ædium sublato ruit domus. Sunt qui materiæ infinitam divisibilitatem concedunt, ideoque per consequentiam statuunt compositionem materiæ, ubi numquam ad finem penetrare licet. Videntur illi progressum in infinitum stabilire. Et sane ita faciunt. Sed materialis causæ infinitum progres-

gressum propugnant, non vero efficientis. Et dum quamcunque particularum divisionum existimant *contingentem*, Deum nequaquam tollunt, sed pro ultimo fundamento ponunt. At vero nolim ejusmodi doctrinam admittere, ubi ratio sufficiens & sapientia divina non satis facta tecta conservatur. Unicus Deus sit nostrum solatium, & præterea nihil infiniti stabiliatur, cujus non occurrat dependentia & finis terminusque distinctissimus. Materia per sese infinita tam ratione causæ efficientis quam materialis est labyrinthus periculosissimus, cui Spinoza aliique immerfi sunt, tristissimo exemplo. Rectius sane egit illustris Wolfius, qui compositorum Monadas, eorumque tandem ex nihilo creationem stabilivit ob rationem sufficientem & mundi contingentiam. Mundus non dissolvitur mente in particulas infinitas, sed indefinitas, & quia ubique contingens est; citra Deum, *ultimam rationem*, nec esse nec cogitari potest. Quod plurimæ partes globi nostri terraquei aliter aliterque sese habere queant, nec necessario hunc vel illum situm, statum, motum, quietem recipiant, effectus docent, quibus mortalium labor plurima immutavit. Immutatio qualiscunque intrinseca tollit necessitatem absolutam. Liceat igitur similiter concludere de singulis terræ, aëris, ætheris, ceterorumque globorum cœlestium sub-

substantiis. Ut enim Physici recte statuunt
 (a) corpora universa, etiam illa, de quibus
 observationes non habemus, extensa
 esse & mobilia & impenetrabilia, & gravia,
 quia corpora omnia, de quibus observatio-
 nes habemus, istis eminent virtutibus: Ita
 corpora omnia totius orbis sunt mutabilia.
 Si igitur omnia corpora sunt mutabilia, er-
 go congeries omnium corporum, i. e. *mun-
 dus materialis*, est mutabilis, nam totum se-
 quitur singularum partium naturam ejusque
 convenientiam. Ne quis vero mihi fini-
 stram mentem adfringat, putetque, me ta-
 cite actualement æternam mundi existentiam
 tradere, ideo duo monere e re mihi visum
 fuit. *Prius* quidem est, quod definitionem
 indicaverim æternitatis secundi gradus. Sed
 id fere a me factum est eo modo, quo illi,
 qui de igne purgatorio commentantur, no-
 tionem quandam animo occupant, unde ju-
 dicent, an sit ille, nec ne: an esse nequeat,
 an vero esse queat. *Posterius*, quod admo-
 neri a me posse puto, in eo consistit, quod
 ipse firmissime statuam, quinque diebus,
 antequam Adamus conderetur, universita-
 tem hanc cœpisse. Rationes meæ in prom-
 ptu sint. 1) Si Moses diversum aliquid do-
 cere voluisset, aliter & claritate diversa
 scri-

(a) Rogerus Cotes in Præf. ad Is. Nevvtoni *Philosophie
 naturalis Principia Mathematica*, & ipse Nevvton
 l. c. L. III. reg. 3. p. 357. sq. edit. Amstelod.

scripsisset. Præter Pandectas sacros heic aliquid sapere nolo, quia Gentiles vel cum Mose consentiunt, (b) ubi quid viderunt, vel crassissimas fabulas (c) nexuerunt vix examine dignas, vel observationes eminentias obtenderunt, vel annos lunares (d) habuere. Novi Virum eruditissimum, qui priora Geneseos capita in mythos Geographicos convertit. At horret animus & refugit ista (e) meminisse. Unde tranquillitatem animo & mortis antidotum satis efficax hausero, si litteras diviniore in gryphos & Dædalea allegoremata, infirmo lubricoque ubique sensu, transfunderem? Nisi lues ista foret Satanica, scripta profana potius in allegorias convolveret Dædalus ejusmodi, quam sacra, quorum auctor nimis est tremendus. Ne his male facietis acuminibus ecclesia omnino obruatur, Numen manifeste

(b) Ut ex Grotio de V. R. C. & Sanchoniathonis Fragmento, initio cujusdam computationis penes omnes gentes liquet.

(c) Ut ex Mythicis, Aegypti, Græciæ, Malebarum libris, & calculo Chaldaico, Chinensi, Aegyptio coque patet, de qua re videndi Stillingfleet & Jaquelot.

(d) Horn. von der Hardt in *Morgenrothe über Chebron*. 8. 1710. Helmst.

(e) Remotius a veritate Ethica recessit idem, quam Anonymus Batavus in *Demonstratione Allegoriae Historicae V. & N. T. & revelationis Mysteriorum SS. Triados* Groningæ 1690. 4. a Groningentibus interdicta publice.

ste impedit. Nam ingenia ejusmodi ferocia raro studiis inhærere pergunt, & si illud fecerint, miris fortunæ procellis jactari solent divinitus, ut sese emendent. Præterea, experientia teste, nemo ei confidit, qui Deo non videtur fidere. O serva Deus verbum tuum! 2) Composita & monades continentur complexu hujus universi. Sed præter Deum nihil est, quod æternitatem primi gradus, ex absoluta necessitate existentiae elucentem, teneat. Composita constant ex monadibus, nisi Atheorum exemplo velis aliquid largiri, cujus nulla occurrit sufficiens ratio. Monades nec ex simplicibus aliis nec ex compositis potuere existere. Ergo simul & semel ex nihilo conditæ sunt ab eo, qui omnipotens & maxime æternus erat. (f) Quia vero ipso creationis momento Deus solus istam effectiorem intellexit, nec homo, licet cum primis fuisset creatus, ea explicare ac ostendere valet, in quibus nulla est successio, nulla moras tenens compositio; inde clarissime colligitur, homines primos per cognitionem, qualis hodie nobis inest, nesciisse creationis modum, temporis exordium. At vero omnes Philosophi ad Ocellum usque Luca-

Class. VIII. Fasc. VI. Y y y num,

(f) Conf. Ill. Leibnitii *Monadologia* p. 3. §. 6. sq. & Jo. Henrici Michaelis *Unterricht von den Accentibus* p. 35. ed. 1720. 8.

num, fatente ipso Averroë, (g) de æternitate mundi nequidem cogitarunt, sed consensere omnes in quodam omnium rerum initio, quod Politici & Chronologi semper fecerunt. Memoranda sunt, quæ de litibus pro antiquitatis prærogativa gentes inter sese contentionibus subjecerunt. (h) Si qui vero norunt, Lucanum & Aristotelem fuisse ethnicos, *materiaque* notionem pertenuem aluisse, quippe quam in Monadas non resolvebant, eosque naturaliter voluisse cuncta explicare, ii excusabunt Lucanum, nec tamen adorabunt, quasi singulariter sapuerit, sed spernent cæcas ideas cum suo auctore cæco. Unde vero ii, qui præcesserunt Lucanum, fuere tam concordēs in exordio rerum concedendo, non adeo diuturno, nisi ex revelatione Dei, per manus tradita, id hausissent? 3) Initia gentium in regionibus: occupationes insularum primæ: linguarum major in dies distractio, earumque & ipsarum litterarum distinctior convenientia, si ad exordium rerum propius accedimus: montium cacumina nondum ad planitiem delata & æquata: origines artificiorum, scientiarumque maxime necessariarum: illa omnia, inquam, testantur generis humani initium non adeo antiquum, ut ipse Lucretius, Tacitus,

(g) Ad Libram Aristotelis de Coelo text. 102. conf. Censorinus de die natali c. 4. p. 25.

(h) Plura monuit in hanc rem Auctor der Einleitung

aitus, Seneca & plures alii ethnicorum subodorati sunt. At terra fuit condita in usum hominis, qui est utique præstantior omni massa terraquea. Quam primum igitur terra creata est, patuit usui hominum, tum quoque creandorum ex ratione convenientiæ & summæ sapientiæ divinæ. Quis est, qui caveam in usum avis comparat, avem vero comparare negligit, nisi desipiat, vel vertumno sit mutabilior, vel ex paupertate & impotentia voti sui impos, quorum sane nihil Deo tribui potest. Terra porro est pars universi; eique non casu vel instar mantissæ immersa, sed ex sapientissima Dei voluntate & selectissimam ob harmoniam inserta & simul coagmentata. Quum vero, si terram demere posses ex universo, tota mundi machina immutaretur, & a sapientissimo hoc ordine semel instituto deflecteret, ea de causa ex initio humani generis ad exordium terræ, & ab exordio terræ ad primordia uni-

Yyy 2

versi

in die Habessinischen Theologie Helmst. 1719. p.47. & p. 90. (32) cujus libri verus auctor non est A. Windhorn, sed J. R. G. qui illum nondum plene conscripserat, cum Windhornius ei illum ademisset, & ne ejus editio impediretur, Gandano XL. Joachimicos sponsonderat, promissos tantum. Verus auctor per litteras nuper spem mihi fecit, librum illum mox curatius a sese editum iri, sublatis mendis & adjectis multis luminibus, id-

versi (i) firmissime conligitur. Orbe telluris demto immutaretur hoc Systema nostrum, quia gravitatio reciproca planetæ in planetam & omnium planetarum in solem, hujusque rursus in omnes planetas caussa physica est cursus sideralis, non neglecta tamen inertia massæ, quæ cursum rectilineum imminuit. (k) Præterea exspirasset dudum motus ille Lunæ, quem & ad tellurem & ad solem tenet conformatum. Computavi ante aliquot annos telluris totius gravitatem, eamque indubie minorem ea, quæ re vera deprehenditur. Sphæram terrestrem in quadrata digiti longa & lata transmutavi, eamque ex dimidio aqueam, ex dimidia altera parte terrestrem & gravio-rem. Ne gravitas aquæ a me fingeretur justo major, mediam proportionalem inter librae unius gravitatem sub Aequatore ejusdemque sub Polis investigavi, observationes anxie inter sese conferens; & ad hæc eandem proportionem tenui inter differentiam gravitatis æstivam & brumalem. De-
scen-

idque citra partem primam, cujus plenior elab-
orationem dabit sub tit. *Bibliotheca Religionum
mundi.*

(i) Alia argumenta, quæ creationem terræ cum
chao ipsisque angelis ad sextiduum rejiciunt, vi-
de apud Frider. Bechmannum in *Theologia Pole-
mica* p. 274. sqq. edit. Buddei.

(k) Divine hæc demonstravit Ill. Nevvtonus l. c.

scendi porro in fodinas argenti, ut inertia ad centrum accrescentis proportionem addiscerem, simulque deprehenderem eandem inter corpora inertissima & leviora in quacunq; distantia possibili. Inde conlegi totam telluris gravitatem, quam si huc adponerem, quisque stuperet. Inde atmosphærarum proportionate decrecentem & accrescentem gravitatem licet porro rationibus bene subductis computare, omniumque corporum cœlestium, quorum diameter haberi potest ex emersionibus vel parallaxibus. Sed manum de tabula. Quod si per antliam alicubi turbatur æquilibrium aëris, aër, si libera ei actio permittitur, ruit ad levitatem specifica gravitate exæquandam. Nec secus eventura res esset, si terræ gravitas vel ipsa terra tolleretur. Inde enim totum hoc systema foret diversum & quia systemata fixarum cohærent nostro, totus orbis foret alius. Si igitur terra ad mundi harmoniam requiritur, ut nullus cum ratione dubitare potest, tum certe evidentissimum est, terram simul cum reliquo mundo fuisse conditam, vel, si reliquum mundum ante terram existisse fingas, harmoniæ aliquod complementum olim mundo defuisse, quale quid in actionem humanam, priora corrigentem & suppletem menda, cadere potest, non in divinam. Absit igitur per omnem modum

cogitare, mundum non simul cum terra, hanc vero non cum exordio generis humani fuisse conditam.

§. 2. Fuere semper nonnulli, qui mundi æternitatem propugnarunt, sed imaginariis adminiculis nixi. Non vero ei fuere ejusdem sententiæ, quod probe notandum est. Crassissime delirarunt, qui æternitatem mundi intrinsecam, necessariam existentia, independentem, & eam, quæ Deum tollit verum, statuerunt. Hi fuerunt vel distincte commentati vel confuse. Distinctius insanierunt, qui materiam omnem pro Deo habuerunt, vel vocem etiam Dei ferre noluerunt. Confusius somniarunt, qui Deum putarunt esse animam mundi ejusque partem præstantiorem, vel Deum ita innexuerunt mundo, ut nefas ipsis visum fuerit, Deum per sese citra mundum posse subsistere. Hi omnes albo Atheorum inscribendi sunt, ut etiam rectissime factum est a Jenkino Thomasio, (l) Jo. Fr. Buddeo, (m) Jo. Christoph. Wolfio, (n) & Jac. Frid. REIMMANNNO, viris sapientissimis. Subtilius delirant, qui mundum actu semper existisse putant, at per accidens & voluntatem Dei,

(l) In *Historia Atheismi* a. 1712. Altdorfi.

(m) In *Thesibus Theologicis de Atheismo & Superstitione*, præcipue c. II. §. 2. pag. 236. edit. Prima. 1717. 8.

(n) In *Diss. de Atheismi vulgo suspectis*.

Dei, adeo ut æternitas mundi ipsis fuerit existimata contingens, extrinseca, dependens. Hi fuere vel Gentiles, quibus iste error aliqua ex parte videtur esse condonandus; vel Christiani iique vel improbi, qui S. scripturæ auctoritatem proculcare in animo habuerunt, vel probi, qui de S. scripturæ divinitate firmissime persuasi, in expositione ejus tamen allucinati sunt, ut Astro-nomi plurimi heic aberrare solent in explicando Gen. I. capite. Hosce omnes esse vel fuisse Atheos dicere nolim.

§. 3. Recensiturus eram auctores æternitatis mundi, & eorum argumenta. Sed brevitati litandum est & parcendum est lectori, ne incautus venenum trahat, & pro animi humani malignitate in pravas opiniones abripiatur. Prudentia & *εγκυψει* opus est plusquam Pythagorica in sententiarum venenatarum expositione. Sufficiat veritatis amatoribus, æternitatem mundi actua-lem tam absolutam quam contingentem paullo ante destruxisse. Vita nostra undi-quaque est circumcisa & mors inopinanti-bus obrepit. Quare Deo potius serviamus & sanitati mentis, quam profanis myrme-ciiis. Rogo etiam atque etiam lectorem, ne a possibilitate æternitatis mundi ad existen-tiam æternam concludat probe scius, se hæc potuisse non legere, ideoque non per ab-solutam necessitatem legisse, & similiter

rem in omnibus contingenter possibilibus
 sese antecedenter habere. Problema vel
 potius Theorema heic excutiendum pote-
 rat omitti in libellis Theologicis. Sed quia
 Scheiblerus aliique non ultimi nominis
 Theologi possibilitatem æternitatis mundi
 suo adprobarunt calculo, eis post cineres
 deesse nolui, ne traducantur veluti profa-
 ni livido dente, veritus. Rarius hoc est
 Theorema, quia per sese ad salutem æter-
 nam nil facit, & si incidat in male curio-
 sum speculatorem, adsuefacere queat eum
 ad alia supervacua expendenda, quibus
 semper homo ultra quam par est inhiare sa-
 tagit.

§. 4. Sed quia alea jacta est, rem ipsam
 ingrediamur oportet. Impossibile est illud, cu-
 jus distincta repræsentatio contradictionem
 involvit, idq; vel per absolutam rei habitudi-
 nem vel in ordine ad certas circumstantias,
 hoc est, hypothetice. Si igitur impossi-
 bile est, mundum potuisse divinitus ab æter-
 no creari, contradictio alterutra vel utra-
 que obsistat oportet. At in creatione per
 se nil obstat, quia ab æterna Dei omni-
 potentia procedit, quæ nunquam immutatur,
 nunquamque accrescit. Mundus contin-
 genter sese ad voluntatem Dei habet, & in
 eo nil est, quod impediatur æternam produ-
 ctionem. Sed regeris, æternitatem soli Deo
 competere, ideoque cum rebus creatis non
 posse

posse communicari. Respondeo, quod invictæ hoc sit veritatis de æternitate primi gradus. (o) Ut vero æternitas secundi gradus Deo nequit tribui, quam mundo ratione possibilitatis tribuo, ideo ita contradictio adparens exspirat & concidit. Quod Deum adtinet, is eam ob causam non adligatur & veluti stoice adjungitur mundo. Deus semper sibi repræsentavit mundum semperque fuit omnipotens, ideoque creationem mundi, unde nullum detrimentum infertur virtutibus & perfectionibus ejus, sed potius major omnipotentia radius exsplendescit, ab æterno peragere potuit. Non est contradictionis plenum, causam efficientem natura esse priorem effectui & effectum tamen ratione existentia simul esse. Eo ipso, quo Deus lucem primigeniam creavit, splendor adfuit ex luce emanans. Terra gravitavit & effectum gravitatis exseruit, simul ac creata est. Terra vero est causa, & gravitatio est effectus. Quanto magis, qui non uno modo & restricte agit, Deus, simul ac fuit, i. e. *ab æterno*, effectum sui edere potuit. Nam potentia causarum secundarum eminenti & perfectissimo gradu enitescit in Deo. Et finge tibi, quod mundus, per suam naturam contingens, aliquando non potuerit produci. En, quæso, contradictionem, quæ posito ex hoc casu emerget.

Yyy 5 geret.

(o) In *Historia Universali Atheismi & Atheorum falso & merito suspectorum* Hild. 1725. 8.

geret. Nam mundus, per se contingens ratione productionis & conservationis, ea ratione aliquando fuisset non contingens, sed impossibilis. Ita essentia mundi esset contingens ratione productionis, & non contingens, quia aliquando nequisset produci. At contingentia & impossibilitas sunt opposita, quæ eidem rei simul nequeunt tribui. Si vero mundus in idea ex impossibili (i. e. *non ente per se & nihilo*) factus est contingens & possibilis, tum absolute nihilum & non-Ens potest fieri Ens, (p) quod est oppido incommodum, tam ob contradictionem quam essentias rerum earumque essentielles proprietates æternas. Potestne Idem fieri Diversum, Vnum plura, ternarius quinarius, Deus non-Deus? Absit per omnem modum. Mundus igitur actu est æternus? Nequaquam. Equidem a sapientissima & liberrima Dei voluntate dependit, an illud, quod erat *μη φαινομενον*, sed in idea tantum intrinsecus, forisque non adparens, vellet ab æterno producere nec ne. At ut fecit, ita voluisse censendus est.

§. 5. At objici heic nonnulla posse sentio, quæ removenda sunt, ne quis in anticipi hoc hæreat compito. Aeternitas obstare videtur, soli Deo tribuenda. Sed jam

(p) Sic cetera adtributa Deo in summo & infinito gradu tribuenda sunt, quæ in secundo & depen-

responsum est. Tempus porro æternum esse possibile, inficetum creditu adparet, at non omnibus nec mihi. Tempus solent mortales non pro relativa notione, sed pro absoluta habere, quasi foret substantia, quæ digito possit ostendi. Si inspiciamus omnes occasiones, quibus hæc vox in vita communitur, tum significatio occurret distincta, quod scilicet sit *series successionum* (q) vel *ordo eorum, qua sibi mutuo succedunt*. Si ponas, *a b c*, quasi totidem corpora, ordinatum habere motum, ut *a* post ictum oculi in locum *τ c* successerit, & *c* simul progressum sit, tum ordo succedentium innotescit, quem *tempus* adpellare consuevimus. Tempus non est *continuata existentia*,
ut

dente gradu tribuuntur etiam hominibus. De positivis nullum est dubium. Negativa videntur aliter sese habere. Sed revera res aliter sese habet, nam 1) sunt negativa ob sermonis angustiam & imbecillitatem intellectus e. g. janua est *non-arbor*, sed ideo non est notionis mere negantis; 2) Negativa illa etiam certa ratione rebus creatis tribui queunt e. g. *unitas* cuique individuo: *simplicitas* geniis & animis: *immutabilitas* rebus duratione eminentibus: *infinitas* a parte posteriori angelis & judicatis in die pantocritico: *immensitas* complexui mundi quatenus ejus mensura accurata a homine tradi nequit; *æternitas* angelis & hominibus. At Deo competunt absolute, citra ullam imperfectionem restrictionem & respectum.

(q) *Ut numerus irrationalis æternum non fiet rationalis,*
8

ut vulgus putat. Pone enim *abc*, & motum, quem antea exempli gratia finxi, ita tamen ut *A* in unico momento in nihilum fuerit redactum divinitus, simul tamen aliud simile corpus ei per omnipotentiam fuerit substitutum, quod eundem servet ordinem, idque singulis momentis fieri, anne *tempus*, ut in priori exemplo, quivis ei motui *ABC* inesse idem dicet? Videmus igitur, quod temporis sit idea relativa ordinis, non vero continuata rerum existentia. At æternitas est continuata rei existentia, initio & fine carens, ergo, si secundi sit ordinis, æternam potest tenere successionem, i. e. *tempus infinitum*. Qui composita non resolvunt ultimo in Monades, sed in infinitum progressum materiæ, illi infinitam successionem statuunt. Illud vero paucis exceptis, hodie faciunt doctissimi mortalium. Nec abluunt (r) ii, qui Vacuum in mundo dari infitiantur, statuentes infinitam rarefactionem & elasticitatem, simulque infinitam successionem, nisi diversa velint esse Unum, & *chaos citra ordinem* somnient. Qui a postica parte æternitatem angelorum & hominum comprobant, nonne illi ea ratione infinitum tempus largiuntur? Finge *A* esse initium crea-

Et numquam fieri poterit unitas, decas, centenarius, millenarius, millionarius &c.

(r) Idea temporis est ordo perceptionum successivarum

torum hominum & angelorum, B vero æternitatem a parte posteriori. Quod si regrediendo B haberet exordium (i. e. finem) & A careret fine, nonne idem casus existeret, qui emergit ex possibilitate æternitatis mundi?

§. 6. Ne vero quis hæc urgeat, prave accepta, ad subvertendum sensum Gen. I. 1. 2. sibi que persuadeat, ברא esse structuræ novæ architecturam, quemadmodum Inclytissimus Jo. Clericus κτισεν ibi capit, juste ideo a Zacharia GRAPPIO in *Theologia recens controversa* notatus & ab aliis, si meliora edoceri velit, emendatus; κτισεν utique latius patet quam ברא, quia 1) κτισται in numis vocantur coloniarum auctores magistratus, solus vero Deus בורא vocatur; 2) ברא notat rem maximam & ineffabilem, quæ hoc loco per emphaticum *Atnach* exprimitur sub אלהים & *Tiphcha* sub בראשית. Accentuatio vero illa, seu modulatio est vetustissima, Hieronymo jam memorata, sensui plerumque convenientissima, ut accentuationis imitatio a priori nos condocet. At κτισεν sæpius de rebus minoris momenti dicitur. Abarbanel (s) נאמר נפלאים לשון בראשית significantur admiranda maxime per vocem

Leibnitio in Ep. II. ad Samuelem Clarkium & Wolfio in *Elementis Chronologiae* c. 1. p. 707. ac *Metaphysica* c. 2. §. 94.

(s) Conf. III. Leibnitius in Sched. IV. ad Clarkium.

cem ברא 3) ברא notat productionem ex ni-
 hilo , rarissime id notat *κατα* & nonnisi ibi,
 ubi ex Græca lingua, cujus cultores veram
 creationem ignorabant, nulla alia vox suc-
 currebat pro magnificentia vocis ברא adse-
 quenda aliquantulum. R. Bechai : (t)
 ברא הוא לשון הוצאת יש מאין *Bara* habet
significationem productionem entis ex non-ente
 (quod tamē existere tandem poterat.) Pulcre
 Abarbanel , luscus inter cæcos : (u) ברא
 כתב הרב המורה שאין אצלנו לשון יורה על
 המצאת היש מאין כי אם לשון ברא : והראב"ע ורבים
 אחרים מכחישים זה וביאו ראיה מן ויברא
 אלהים את התננים הנרולים ויברא אלהים את
 האדם כי ידוע הוא כי מן היסודות נבראו לא
 מאין ויש מי שאמר כדי להצדיק דברי הרב
 המורה שה המצאה יש מאין תאמר בריאה ולא
 יתהפך שכל בריאה תהיה הוצאת יש מאין ואלת
 הם דברי רוח שאם כן מי יברית לנו שהבריאה
 שנזכר במעשה בראשית היא יש באין ושאינה
 מהבריאה שתאמר על המצאת היש מיש והנה
 הרד"ק להמשנו אמר הדעת הזה כתב בשרשי
 שברא שם נופל על ענינים מתחלפים בדרך
 שחוף כי הוא באמר על המצאת יש מאין כמו
 ברא. *Scribit magnus Do-*
ctor quod non sit penes nos vox docens produ-
ctionem Entis ex non-Ente, nisi vox bara. Et

R. Abar-

(t) *In בראשית fol. 5. col. 2. ed. Hauer.*

(u) *Comment. in Legem fol. 4. col. 1.*

R. *Aben-Esra* multique alii taxant hoc, & adducunt probationem ex eo : Et creavit Deus animalia distentissima magna. Et ex eo: Et creavit Deus Adamum, quia manifestum sit, quod ex praeexistentibus creata sint illa, non ex nihilo. Est etiam qui dicit, quasi ad vindicanda verba magni doctoris illius, quod productio Entis ex non-Ente dicatur creatio (a bara) sed non viceversa, quod omnis creatio sit productio Entis ex non-Ente. Et sunt illa verba spiritus (ventosa.) Si ita tamen est, quis impugnabit nobis illud, quod creatio, quae memoratur in opere creationis, sit Entis ex non-Ente? & quod illa non sit ex creatione, quae dicitur de productione Entis ex Ente? Et ecce R. *David Kimchi* ad obvelandum illud dicit hanc sententiam, scribens in libro *Radicum*, quod *Bara* sit vox *αλωση* & instar inundationis, quia illa dicatur de productione Entis ex non-Ente, ut in principio creavit &c. Ut vero in temporis exordio definiendo sacrae litterae sunt unica amissis veritatis, ita creationis ex nihilo conditio ad limam rationis humanae revocari indeque inlustrari debet. Nam composita constant ex simplicibus, quia alias ratio nulla sufficiens praesto esset, unde tandem exstitissent. Si chaos fuerit elementum heic primum, eadem redit quaestio, licet enim, si massam compositorum unico obtutu adspicias, chaos concedatur. At materia illa prima fuit vel resolubilis in stami-

na ultima, vel indissolubilis, æternum crescente compositorum congerie, nec unquam in finem & elementa abeunte. Si fuit hac ratione indissolubilis, pergendo cogitationibus in æternum, tum numerus fingitur, qui ablatis idem numeris semper manet idem & numquam decrescit, quod est oppido absurdum. Omnia sane, quæ ex unis in se determinatis consistunt, tandem illud tenent fastigium, in quo veluti adquiescunt & ultra quod adfurgere non datur. Præterea omnis numerus est quantum, & ideo dimetiri eum possumus. Illud igitur, quod plura continet, est nequaquam immensum, quia contradictio manifesta committitur, si idem statuas esse commensurabile & incommensurabile. Hinc sole clarius liquet, quod materia omnis sit resolubilis in elementa, quæ ulterius dividi nequeunt i. e. in Monadas & simplicia. Est mihi alia in promptu demonstratio ex Dynamicis, at quia est fusior ac difficilior, eam in præsens omitto. Id tamen est aper-tissimæ veritatis, materiæ qua tali, & cujus essentia in compositione consistit, non simul posse tribui inertem repugnantiam simulque agentem naturam, nisi Monades statuantur, gravidæ conatu in actum nitente. Ex natura Monadum porro invenitur ratio Gravitatis universalis, ratio sympathiæ & antipathiæ, visque adfinitatis, quam New-
tonia-

toniani *adtractionem* vocant. Sed antequam istud Theorema in lucem profero, exinde simplicia naturæ non ostendam. Si ostendissem, verus effectus & justa demonstratio simplicia & confirmarent & uberius detegerent. Sufficit indicasse, quo jure simplicia in veram Metaphysicam sint recepta. Jam pedem promoveri liceat, ut *creatio ex nihilo* Philosopho etiam videatur haud absorta, quia potius ambabus amplexanda. Si quid formetur, additio, subtractio, & permutatio particularum formam constituunt novam. Dum hoc ipsum fieri cogitatur, successio & tempus simul cogitatur ratione partium extra partes. At simplicia sunt ab omni compositione immunia, & simul sunt ratione essentiae & existentiae, quicquid sunt. Vires quidem eorum, præter *μοναδα πρῶτην* *Monada supremam*, sunt finitæ, & differunt gradibus ob *principium indiscernibilium*, qui sensim vires suas pro re nata explicant. At simplicia sunt simplicia. Si igitur formandum esset simplex, illud nec additione nec subtractione fieret, quippe quam respuit natura simplicium. Permutatio hæc esset vel simplicis loco simplicis, vel compositi loco simplicis, vel simplicis loco compositi. Sed simplex si ponatur loco simplicis, inde oritur novum simplex non ex priori simplici, sed per creationem ex nihilo vel transpositionem ex alio loco,

manente priori simplici, utroque vero in
 iisdem gradibus. Compositum non potest
 substitui simplici, nec vice versa, quia sunt
 opposita. Si vero fieri posset, utrumque
 maneret id, quod antea fuisset. Simplicitas
 vero finita sunt contingentia, quia variis
 gradibus & virium exferendarum interval-
 lis minus magis excellere queunt. Non
 potuerunt igitur ex sese & per se existere,
 nisi ex simplici absolutæ necessitatis & existi-
 stentiæ, *principium rationis sufficientis*. Et
 quantumvis ei actu competeret æterni-
 tas secundi gradus, quod tamen infior,
 nihilo secius tamen rationem sui habent ex-
 tra suam substantiam & consequenter essent
 a Deo effecta. At unde? Numquid ex sim-
 plicibus, an verò ex Compositis? Non ex
 compositis quia ex pluribus non fit Monas,
 sed plura ex Monadibus e. g. 20. non pos-
 sunt constituere i. qualia viginti in 20. con-
 tinentur. Præterea non est circulus, si pos-
 sint ex compositis fieri simplicitas & ex sim-
 plicibus simul fieri composita. Ex simplici-
 bus simplicitas nequeunt fieri, quia simplex
 tunc esset simplex & non simplex. Esset
 simplex ex essentia immutabili. Esset non
 simplex, si maneret simplex, & tamen di-
 videretur ad plura constituenda. *Was eins
 ist, kan nichts abgeben von sich, und zugleich
 untheilbar seyn.* Ex quibus omnibus patet,
 simul & semel creata esse simplicitas a Deo ex
 nihilo.

nihilo. Heic nihil occurrit, quod distincte
 posset a nobis evolvi, exponi & per parti-
 culas geneseos demonstrari, ut etiam R.
 Levi ben Gerson agnovit. Hoc est *primum*
 illud *miraculum omnis nature*, quod ratio hu-
 mana distincte demonstrare & inde miracu-
 lorum naturam addiscere valet. Philoso-
 phia non subruit miracula, sed stabilit. Su-
 perstitio & inscitia vel fingunt vel repudi-
 ant miracula. Patescit hinc porro, quod
 ex Deo mundus emanare non potuerit, ut
 J. A. Frölinghausen in der Grundlegung p.
 50. statuit juste ideo a Valentino Ernesto
 Löschero (x) notatus. Stoici, Fanatici,
 Bohmistæ, Kabbalistæ, ejumodi nugatores
 ita statuerunt. Simplex per se non potest
 fieri vel esse simul compositum. O sanam
 philosophiam Leibnitii, Wolfii, Bülfingeri,
 Thümmigii, ex qua tanta orthodoxia &
 Stoicismi Fanaticismique destructio exsplen-
 descit? Si qui fanaticis patrocinantur, & eo-
 rum libros commendant, illi per Poiretia-
 nismum & *emanationem universi ex Deo* juste
 Stoicismi arguuntur, & quia Deum cum
 mundo commiscent, Spinozismi. Cædant
 igitur propria vineta, qui divinam lucem &
 veritatis alterum ocellum nobis eripere ten-
 tant. Tu vero, LITTERATOR SUMME,
 qui hanc bibliothecam adornas, æque bo-

Zzz 2 nique

(x) In *Prænotionibus sacris contra Deistas fanaticos*
Præn. 9. p. 123.

nique consule meas cogitationes, licet incogniti TIBI nominis, & nulla litterula me cuiquam obfuisse crede. Quod ut amanter facias, etiam atque etiam vehementer te rogo. (a) Nolui quicquam *per placita* disputare; siquid vero non satis firmo steterit talo, id obelo velim notes, auctorique condones.

(a) Ob chartae defectum, quæ de hac re cogitavi, in alium locum rejicienda sunt.



VII.

Pauli HACHENBERGII,
Epistola

De

Jo. Labadio, &c.

Nobilissime & clarissime Vir, Amice
suavissime!

AD XXV. diem Maji Princeps (a) serenissimus Heruordiam venit, ubi Elisabetha (b) Princeps sese in amplexum ejus gratulabunda effudit, multisque verbis lætitiæ suam

(a) CAROLUS, Caroli Ludovici Electoris Palatini Filius & successor, FRIDERICI V. R. Bohemiarum nepos.

(b) Caroli Ludovici, Palatini soror. Nata 1618. d.

suam super adventum tanti hospitis confessa est. Aderat Princeps Luneburgensium Sophia, (c) matrona non minus ingenio prompta, quam rerum omnium curiosa, quæ Superintendentem Osnabrugensem, virum eruditum secum duxerat, ut illum cum Joa. Labadia, qui novam ecclesiam instituit, disputantem committeret. Itaque & novi istius apostoli fama & casibus permoti statim post adventum nostrum diligenti sciscitatione percunctati sumus, quid rerum ageret, quibus legibus severus ille morum Christianorum arbiter animos hominum vinciret, quibus denique incrementis divinus ille cœtus surgeret, & sanctimoniam suam propagaret. Renovatæ inter cœnandum a Principe Sophia istæ quæstiones diuque vita Labadiæ libero sermone traducta est; donec Elisabetha dicacitatem nostram interpellavit, hominique sanctissimo grandem imponi injuriam testata est. Cum instarem, illum Arausione, Genevæ & Middelburgi turbulentis cogitationibus exagitasse rem publicam; illud a scelestissimis hominibus

Zzz 3 effi-

26. Dec. denata d. 8. Febr. 1680. Abbatissa Herfordiensis, Princeps pietate & supra sexum doctrina eminens.

(c) Filia Friderici R. Bohemiae, Soror Caroli Ludovici, Palatini, Uxor *Ernesti Augusti*, Electoris Luneburgici. Mater **GEORGII LUDOVICI**, Britanniarum Regis.

effictum respondit, qui nefando mendacio
 fauciasse viri existimationem, quo non
 alius civitatem sanctius & tranquillius inco-
 luisset. Cum objurgaremus, quod eccle-
 siam nostram foeda turbasset dissensione &
 turpi fuga cœtus Belgicos deseruisset; illum,
 nec fregisse pacem ecclesiæ, nec ex ea fu-
 gisse, dixit, sed pessimorum hominum ca-
 lumniis deformatum, sed invidia pulsum &
 coactum, ut se suosque ex flammis eripe-
 ret & miseris & Dei sui cultum in locum
 sanctiorem transferret. Cum rogaretur,
 qua auctoritate quove magistratus jussu ho-
 mo ambitiosissimus novam ecclesiam forma-
 ret, se illam esse affirmavit, quæ virum
 istum ceteramque cœlestem & divinam tur-
 bam e Belgio excivisset; se pollere jure
 episcopali, quod ejusmodi conventus &
 statuere & abolere posset. Hos aliosque
 sermones nox tandem abruptit. Postridie,
 ubi e lecto confurrectum est, omnes domum
 Labadiæ capessunt repertaque in aditu ipso
 virgo Schurmannia, vilissimo involuta ve-
 stimento, quæ languido osculo intrantes
 salutabat. Perducti in ejus conclave multas
 & præclaras res oculis usurpabant: nam &
 eruditissimæ virginis picturas videbant, cum
 ipsius naturæ veritate certantes, & imagi-
 nes in ligno ceraque comprehensas atque si-
 militudinem animorum præcisas non sine
 admiratione tractabant; interea lentis mo-
 destis-

destis que passibus ingreditur cubile homo
 senex, exercitati vultus & qui videretur
 nescio quid divinum animo volvere, sed
 cultu non perinde insignis, ut facile appa-
 reret, eum ex hoc genere mortalium esse,
 quos melior afflavit spiritus terraque sub-
 motos commercio divinitatis adjunxit. Is
 blanda oratione consalutat Principem no-
 strum, & Elisabethæ amitæ pietatem ac
 Palatinorum in religionem merita facunde
 narrat; mox ad seriam declamationem con-
 versus, multa de amore divino, deque
 cladibus & ignorantia generis humani phi-
 losophatur. Jam agnovisses Labadiam esse:
 nam omnium oculi in eum defixi hærebant,
 & quisque illum tanquam loquentem ex tri-
 pode Apollinem observabat. Orta inde
 quæstio inter istum & Superintendentem no-
 strum de concupiscentia hominis, qua ani-
 mus noster plerumque rapi & vexari solet,
 disputantes per horam exercuit & inter ver-
 ba tantum continuit, donec clamoris per-
 tæsa Elisabetha finem rixæ imposuit, &
 utrosque post prandium ad se venire jussit.
 Ibi sermone vehementi agitatum est, accu-
 satusque Labadias, quod omnem ornatum
 gemmasque & mundum muliebrem intem-
 pestiva rigidave continentia ademisset fœ-
 minis, quodque miseras sequioris sexus
 animulas, quæ labi & errore proclives es-
 sent, timida & anxia pietate confudisset.

Fuisse in prima ecclesia mulieres, quæ auro & purpura insignes in templum perlatae essent & Dei delubra pietate sua decorassent; nec nunc sanctas nec pias haberi, quibus gemmæ aliquot circumfluerent cervicem, aut annulus in digito federet, aut crines ingenio suo flexi per frontem dimitterentur, cum tamen illæ æque puram castamque mentem templis inferre possent, ac istæ, quæ sordido circum amictæ peplo omnique mundo exutæ pectus ambitione & superbia plenum circumgestarent. Docere eum, non esse actiones indifferentes; sed omne id esse flagitium & scelus grande, quod ad Dei honorem recta non vergeret. At non optimum illud Numen voluisset, ut functiones illæ & negotia, quibus me vita civilis admovit, cultu suo abolerentur; nec me Hercule crimen esse censendam, si versum prophanum pedibus instruam, si Alexandri M. laudes stylo impleam, aut si puellam, quam matrimonio junxi, procali petulantiq; osculo invadam; Et quæ ista impudentia esset, ut omnes illos infernalibus Diis projiceret lacerandos & æternis suppliciis mactaret, quos anxia & ridicula nimis superstitio in societatem & amicitiam Labadiæ non propulisset? tanquam sine ejus arbitrio misceri Diis & inferri cœlo nullus posset; tanquam Christus jam tam pauper esset factus, ut cum universa ecclesia sua in exigua Hervordia domo tantum habitaret, nullos ab eo ad-

admitti ad sacram cœnam aut dignos sanctissimi istius panis frusto existimari, nisi quos ille temerarius cœli dispensator inculpato sanctosque pronuntiaffet. Ceteros mortales in sceleribus suis jacere, flagitiis quotidie pollui, & mundi pravis illecebris adhærescere: at suos numquam pede sordibus contaminato humum premere, numquam in hisce inferioribus, in quibus miseri adhuc volutamur, animo versari, sed cœlo suo admistos & Deo suo admotos veluti in altissimo theatro sedere, ut miseris mortalitatis clades despiciant & rideant. Jam illud etiam ineptum & stolidum esse, quod vanissima audacia se cognoscere regenitas sanctasque mentes confiteatur; cum animus humanus tot fraudibus fœcundus, tot simulatibus subdolos fallaxque esset, quive nequitiam sub austeræ imagine pietatis condere & dissimulare posset: Id certe solius Dei esse, qui animis interesset nostris, & cogitationes nostras inspiceret; homines autem graviter errare, qui, aut vanissima sua opinione turbati aut ambitione prætumidi, de illis rebus insolenter statuerent, quas numquam deprehendere oculis nec certa ratione indagare possent. Ad ista Labadias ejusque commilitones Yvon & Schluterus multis verbis respondebant, sed omnia huc incidebant, deserendum esse mundum, ut cum Christo viveremus, deserendum esse

a fidelibus cœtum infidelium, ne contactu
 istorum integritatem suam inquinarent:
 Nondum illum esse Christianum, quem cu-
 pido gloriæ honorisque mundani adhuc ve-
 xaret, quem ambitio transversum raperet,
 quem curæ hujus vitæ lacerarent; non enim
 probum esse amorem, nec legitimas cupi-
 ditates, nec desideria justa, nisi quæ nos
 perpetuis cogitationibus Deo jungerent cœ-
 loque imponerent. Addebat Schluterus,
 se in Palatinatu per triennium fuisse, ut ani-
 mum præceptis sapientiæ componeret, sed
 illum Deus perderet, si ullum pium Pro-
 fessorem aut Pastorem vidisset; nam aut
 ambitione illos exagitari aut cupiditatibus
 habendi fluere, aut vino immergi, aut curis
 domesticis torqueri, ut graviora sileret. Ad
 ea, quum spississimum tolleremus risum,
 interpellavit Princeps noster contentionem,
 petiitque abs Labadia, ut convocato grege
 suo concionem haberet, sibi enim jucun-
 dum fore, si facundiam ejus & doctrinam
 prolixius ex sacris rostris audire liceret.
 Confestim itur in ædes, ubi Labadias degit,
 conveniunt mulieres & puellæ, omnes le-
 pidissimæ pupulæ & quæ lectum non inve-
 nistæ movere possent: accedunt etiam Sar-
 tores, nautæ & perfusi sordibus pellio-
 nes, neque enim alios, quod miraberis,
 aut veste conspicuus aut vultu insignis vir in
 tam illustri mulierum consortio eminebat.

Post-

Postquam sedilia raptim fuere disposita, cantatur Psalmus II. mox textus ex evangelio Matthæi VI, 24. prælegitur; ex quo disertus Ille agyrta longa & fastidiosa declamatione demonstrat, neminem in Christi Jesu membris habendum esse, qui mundi sordibus adhuc coopertus esset, alioque amore aut cupiditatibus arderet, ac illis, quas cœlestis ille spiritus in regeneratis mentibus incendisset. Addebat in fine concionis loqui se ad Principes, ad hæredes Electoratus Palatini, quorum majores gravissima damna pro religione perpeffi essent; pulsos enim auitis regionibus & despoliatos omnibus fortunis fuisse, sed eosdem a Deo O. M. restitutos majoribusq; gloriæ & dignitatis præsiidiis auctos esse, ut labentis ecclesiæ minas sustinerent. Se quidem ex animo vovere, ut præsens ille Princeps, qui cœlitum speciem suavitate oris referret, verus Christianus reddatur & in ornamentum ecclesiæ legitime crescat. Tempus enim jam esse, ut magni Principes & terrarum Domini, qui Christo nomen dedissent, verum Christianismum animis atque operibus exprimerent, ut Principes Apostolici essent, regnumque Jesu Christi, quod ante adventum suum in hisce terris constituet, ornandum pietate sua & vitæ innocentia sumerent. Adhærescerent alii opibus mundi, fatigarent

animum vana ambitione, darent pretium Machiavellicis argutiis, quæ hodie in aulas & forum incubuissent, sibi suæque domui, quod olim Josua Israelitis dixit, statutum esse, Deum sequi, in ejus contemplatione confenscere, in simplicitate atque innocentia vitæ gloriam suam ponere, fastidire terras, fastidire honores, qui maximam mortalium partem vanissima pompa ludificarent. Hæc taliaque quum ardenti voce vultuque ad sanctitatem composito diceret, ingens devotio universam tenebat turbam; pars ad cælum miserabiliter sustollebat oculos: pars pectus singultibus crebris verberabat; quædam etiam puellæ, quibus mollior in pietatem erat animus, lacrimas ubertim fundebant. Nos admiratione saturi redimus domum superque mensam tam trepidam & ridiculam hominum pietatem vario sermone traducimus, nec satis mirari poteramus, puellas summo loco natas, forma & ætate florentissimas, divitiis magnis præditas, eo insanix processisse, ut vilissimi & inertissimi sacerdotis ludibrio animos obnoxios ducerent, eoque stupore captæ, ut nec avitos penates nec parentum carissimorum preces, nec amantium querelas & dulce matris nomen curarent. Erant, qui morbo hypochondriaco infestari eas credebant, utpote qui olim virgines Milesias tanto circumegisset furore,

ut magno consensu cervicem laqueo con-
derent vitamque suspendio finirent. Alii
illos fanitati restitui posse putabant, si ex fon-
te Schwalbachiano aut Pirmontano bibe-
rent; irascente Elisabetha Principe, quod
illam pietatem, quam innocentissimis ho-
minibus sanctior infudisset Spiritus, maligni-
tas nostra vitio laborantis corporis imputa-
ret. Sed Princeps Sophia, fœmina ingen-
tis prudentiæ ridendo illos tumultus & com-
ponebat & excitabat rursus, rata id, quod
erat, sororem non alio fine Labadistico co-
tui deditam esse, quam quod rei familiaris
tenax & parca esset. Habes, vir amicissi-
me, epistolam satis verbosam de iis rebus,
quas Hervordix circa sacra obiter notavi.
Cetera & quæ ad Principem nostrum perti-
nent, more consueto proximis litteris per-
scribam.

Tuus animo & studio

Osnabrugi 31. Maji 1671.

Paulus HACHENBERG. (d)

(d) Fuit is Serenissimi Caroli, Palatini, tum peregrin-
antis ephorus, deinde consiliarius. Vir elegan-
tioribus literis perpolitus. Cujus rei fidem faciunt,
ejus *Germania media, & de Originibus Suecorum & Ger-
manorum* L. & c. Hanc epistolam lectu dignissimam de-
beo humanitati Viri Cl. Phil. Crollii, qui nunc in
Gymnasio Bipontino historiam & literas humanio-
res publicè profitetur. T. d. H.



VIII.

INDICES CLASSIS

septimae & octavae.

A.

Index Alphabeticus Auctorum & materiarum generalior

NB. Numerus Romanus tomum, alter paginam tomi. L, R, notat librum recensitum.

- | | |
|---|---|
| <p>Jo. ALBERTI observatio-
num criticarum in HE-
SYCHIUM specimen.
VIII. 149.</p> <p>A. ALBERTHOMÆ Co-
gitationes ad Num. X.
13-28. VII. 872.</p> <p>Jo. Georg. ALTMANNI
de lapidibus Christo te-
stimonium exhibentibus
in Matth. III. 9. Luc.
XIX. 40. observ. VII.
261.</p> <p>Ruardi ANDALA de SAB-
BATHO quarti præ-
cepti & diei dominica</p> | <p>observatione tempore
N. T. theses. VIII. 541.</p> <p>ANONYMI Oxoniensis &
Cantabrigiensis Acade-
miæ hodiernus status
VII. 364.</p> <p>- Succincta & genuina
FORMULÆ CON-
SENSUS Helvetice Hi-
storia. VII. 669.</p> <p>- de administratione Ca-
licis Eucharistici Episco-
palis admonitio a. 1564.
in regno BOHEMIÆ
promulgata. VII. 1074.</p> <p>- Schediasma de concilio</p> |
|---|---|

- lio, quod seculo XVI. - Ad THEOD. HA-
 primum MANTUAM, SÆUM de quibusdam
 deinde VICENTIAM in- historix de *Johanna Pa-*
 dictum fuit. VIII. 164. *pissa* scriptoribus Epi-
 - Jura & libertates dif- stola. VIII. 498.
 fidentium in regno PO- Fr. BURMANNI F. Episto-
 LONIÆ & M. D. LI- læ ad OUZEELIUM.
 THUANIÆ. VIII. 205. VIII. 918.
 - Conspectus *Ecclesia-*
rum reformatarum, quæ *Beati Pacifici CLERO-*
 sunt in regno Poloniæ *NOMEI*, V. D. M.
 & M. D. LITHUANIÆ. *Evangelico - Lutherani*
 VIII. 275. *divinæ justitiæ Idea, pro*
 - de *שמואל בן יוסף* f. *feliciori mali moralis*
 Vulpibus Simsonis ad *cum divinis virtutibus*
 Jud. XV. 4. 5. Conje- *conconciliatione*, VII. 149.
 ctura. VIII. 802.
 - de ætate conscriptio- **D.** *Duchat* de ætate G.
 nis libri JOSUÆ obser- *POSTELLI* obser-
 vatio. VIII. 959.
- Samuelis BATTIERII* in **E**PISTOLÆ Fr. *MP-*
 locum Gal. II. 3. 4. 5. *CONII* ad *Just. JO-*
 observatio. VII. 56. *NAM*. VII. 729.
 - In *Johann.* Cap. VII. - *Job. à LASCO* ad *Dru-*
 21. 22. 23. observatio. *filam SISSINGA*. VII.
 VIII. 745. 332.
 - Observationum in lo- - *Anne Maria SCHUR-*
 ca N. T. decas. VIII. *MANNIÆ*. ad *Samu.*
 941. *RACHELIUM*. VIII.
Irenæi BIBLIOPHILI 875.
 observationum triga. - *WILHELMI VI.* Land-
 VII. 929. *gravii Hassiæ* ad *Regem*
 - ad C. A. HEUMAN- *Sueciæ* de *mutatione*
 NUM Epistola, in qua *Religionis* in *quibus-*
 analecta ad ejus novam *dam vicis Ducatus Bre-*
logiorum Samart bani *menfis institutiæ* Episto-
 tionem exhibentur, VII. *la*. VII. 948.
 555. -- Fr.

- - Fr. BURMANNI, Hadr. RELANDI & C. VITRINGÆ ad OI-ZEELIUM, qua sententia ipsorum de accentuatione Ebraeorum exhibentur. VIII. 918.
- Iusti Martini GLAESNERI de Euro Palestinae nocivo Exercit.* VII. 637.
- - de DRACONE insigni regum Ægyptiorum ad illustr. Ezech. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. Capp. diatribe. VII. 976.
- - de Origine Vocis MUSILMANNI conjecturæ. 441.
- - de *Genio* Judæorum *Messa* Specimen Antijudaicum, VIII. 810.
- A. M. GOERINGII* ad loc. Rom. VI. 7. observ. VIII. 279.
- - testimoniorum de *Johanna Papissa Romæ* editorum quaternio. VIII. 926.
- Pauli HACHENBERGII de Jo. Labadio epistola VIII. 1056.
- Excerpta ex literis *Eil. Folc. HARKENROTHII* ad T. d. H. in qua de nonnullis memorabilibus Biblioth. Embd. aliisque agitur, & pentas literarum à Jo. à LASCO ad Drusillam Siffinga scriptarum exhibetur. VII. 310.
- Eil. Folc. HARKENROTHII* Notæ ad Analecta anecdota ad Hist. Ecclesiast. Seculi XV. facientia VII. 1052.
- - vita *Guilielmi GNA-PHÆI*. VIII. 111.
- Isenbrandi Ellhardi HARKENROTHII* dissert. de *Aenon* prope *Salim* ad illustr. Joh. III. 23. VII. 349.
- - de *יִדְדָן* ad loc. Ezech. I. 4. dissert. VII. 601.
- - periculum criticum, quo *ΑΕΒΗΔΩΝ* Hesy-chii, aliaque ejus loca explicantur. VIII. 339.
- J. C. HARENBERGII *Miraculum duplex* ad *Siloah* Joh. V. 1-9. VII. 82.
- - *Schediasma* pro indaganda aquæ ex *Siloam* haustæ antiquitate ad illustr. loci *Es.* XXX. 29. VII. 105.
- - observationum sacrarum *ΤΕΤΡΑΣ*.
- A. de Wy* ad *Amos* I. I. seqq.

1. seqq. Zach. XIV. 5. VII. 46
 B. de *Magis* Judæis ad Matth. II. 1. seqq. VII. 470.
 C. ad locum Rom. V. 7. VII. 473.
 D. inquisitio de antiquitate *Versionis* N. T. *Syriacæ*. VII. 480.
 Vindicatio Israelitarum de dolo in Ægypto commissio ad Exod. XII. 35. 36. VII. 624.
 - de *Vento in meridie noxio* ad illustr. Ps. XCI. 6. observatio VII. 630.
 - Commentatio de 14. annis Paulinis ad illustranda loca 2. Cor. XII. 2. Gal. II. 1. pro definiendo conscriptæ secundæ ad Corinthios Epistolæ anno VII. 886.
 - *peccati originalis* demonstratio mathematica. VII. 1008.
 - de modo eruendi aurum & argentum in Arabia & Æthiopia descripto Job. XXVIII. 1-11. VIII. 93.
 - defensio receptæ lectionis Gal. II. 3. 4. 5. VIII. 104.
 - Commentatio de oratione per *spiritum & veritatem* ad Joh. IV. 23. 24. VIII. 331.
 - Christus Galatis ob oculos delineatus Gal. III. 1. VIII. 386.
 - de Cribratione quam Satanas Apostolis paravit ad verba Christi Luc. XXII. 31. 32. meditatio VIII. 414.
 - Exegesis Ps. CXVIII. VIII. 605.
 - de vocibus, אֲדָרְכֶיךָ, דְּרָכֶיךָ, אֲדָרְכֶיךָ, דְּרָכֶיךָ ad illustranda loca 1. Paral. XXIX. 7. Esdr. II. 69. Nehem. VII. 70. 71. 72. observatio VIII. 623.
 - de monte, quo Moses & Christus Palæstinam spectarunt, dissertatio. VIII. 853.
 - de rore Hermonis descendente in montes Sionis ad illustrandum locum Ps. CXXXIII. 3. VIII. 970.
 Theodori HASÆI de קַו קַו גֵּוֹ Gente Kav Kav ad Es. XVIII. 2. 7. diatribe VII. 485.
 - de *Jodutha* Paraleipomena VII. 906.
 - de *meritis BREMENSIUM* in rem Christianam ante Reformationis tempora Oratio. VII. 1096.
 - de Saxonum Idolo OSTERA observatio VIII. 475.

- Recensio libri Germanici Romæ 1499. impressi, in quo cum alia memorabilia tum testimonium de *Johanna Pappissa* occurrunt. VIII. 526
- Itineris, quod annis 1721. & seqq. circum orbem terrarum factum est, descriptio. VIII. 640.
- de Godofredo SOPINGIO brevis relatio. VIII. 707.
- Vita Henr. HULSII, VII. 897.
- ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ, qua origo traditionis Judicæ de *Messia Josephi filio* investigatur. VIII. 842.
- differt. qua an & quomodo status humiliatio- nis Christi vocetur ejus *exaltatio*, & utrumque Es. LII. 13. indicari, ostenditur. VIII. 1002.
- Bina epigrammata. VII. 952.
- Jacobi HASAEI de Judicæ terræ depopulationibus per *Gazam, Arbe, Jelek & Chafil* ad Joel. I. 4. II. 25. differt. VII. 773.
- Jo. Jac. HULDERICI de vita & morte *Rodolphi GUALTHERI* oratio. VIII. 660.
- Joach. Christ. JEHRINGII dissert. de LIKONIS WALLEES vita, libris atque erroribus. VII. 113.
- de regione TARSCHISCH. VIII. 78.
- de AHASVERO ejusque regno Medo-Perfico dissertatio. VIII. 565.
- Bernb. Petr. KARLII filium Ariadneum de Angelo Dan. VII. traditum ad expediendas difficultates in Apoc. præfertim Cap. XX. occurrentes. VII. 268.
- Caroli KESSLERI diatribe, qua nova verborum Hagg. II. 9. versio exhibetur. VIII. 292.
- Caroli Frid. KRUMBHOLZII de pœna per τὸ ΔΙΧΟΤΟΜΕΙΝ significata ad Matth. XXIV. 51. & Luc. XII. 36. disquisitio. VII. 234.
- de Servatore fustibus cæso ad Matth. XXVI. 67. Marc. XIV. 65. Joh. XVIII. 22. & XIX. 3. differt. VIII. 35.
- de nexu verborum εἰως ἐν τόπω ἀγίας Matth. XXIV. 15. Exercit. VIII. 361.

- - ad Marc. XV. 11. animadversio. VIII. 633.
 - Jo. à LASCO Epistolæ ad Drusillam & Siffinga VII. 332.
 - Gerhardi van MA-STRICHT Canon S. Scripturæ secundum seriem seculorum N. T. VII. 1.
 - - in eum ejusdem notæ. VII. 27.
 - - de JODUTHA commentatio cum notis Th. de H. VII. 510.
 - Conv. MEL de Lapide Puch ad Es. LIV. 11. schediasma VIII. 791.
 - Jo. Georg. MICHAELIS in parabolam de Pharisæo & Publicano Luc. XVIII. 9-14. Comment. Pars I. VII. 422.
 - - Pars II. VII. 824.
 - - de scuto fidei exercitatio ad Ephes. VI. 16. VIII. 763.
 - Bartholomæi de Moor de genuino sensu quarti præcepti disquisitio. VII. 381
 - Frid. Myconii biga epistolarum ineditarum ad Justum JONAM. VII. 729.
 - G. OUTHOVII de qua-
- rundam vocum speciatim מ'ש' & ר'ב' ἐτομω disquisitio. VIII. 120.
 - Jeremia PHILADELPHI de Valle Josaphati ad Joel. III. 2. 12. IV. 14. Meditatio. VIII. 1.
 - Gul. POSTELLI de Linguae Ebraicæ & Arabicæ excellentia & penes Latinos necessario usu oratio VII. 193.
 - - Les tres Merveilleuses victoires des femmes du nouveau monde L. R. VII. 702.
 - Jo. Jac. RAMBACHII de ignorantia exegeteos multarum reliquiarum matre observ. VII. 1015.
 - Hadr. RELANDI, epistola ad OUZEELIUM, VIII. 918.
 - Andr. KITZII de origine vocis DESEM / quâ Germani Paschatos festum indicant, cogitationes. VIII. 449.
 - Petri van SARN de Angelo Satana Colapbizante Paulum ad 2. Cor. VIII. 7. 8. 9. observatio VII. 551.
 - - de nomine novo ad Es. LXII. 2. LXV. 15. & Apoc.

- Apoc. II. 27. Cogitationes. VII. 940.
- Jo. Georg. SCHELHORNII in quædam loca N. T. observationes. VII. 62.
- - de *baptismo pro mortuis* ad I. Cor. XV. 26. Exercit. VII. 649.
- - de vita & scriptis Pauli Scalichii Commentatio. VII. 1027.
- Anne Mariæ SCHIRMANNIÆ ad Sam. RACHELIUM epistola inedita. VIII. 875.
- Jo. SIBRANDA ad loc. I. Pet. V. 5. *διανόσις*. VII. 953.
- Jo. Frid. STADENII vocis Germanicæ obsoletæ *Sinnvel* explicatio. VIII. 938.
- Jo. Rudolphi STECKII disert. in loc. Gal. III. 20. VII. 585.
- Jo. STENGELII de *Junipero biblica* ad illustranda tria SS. loca I. Reg. XIX. 4. 5. Job. XXX. 4. Ps. CXX. 4. VII. 856.
- - ad locum Es. LII. 13. diatribe, qua utrumque Christi statum ibi denotari ostenditur. VIII. 98.
- H. F. F. T. Conjecturæ de *שעירי* ad Es. XIII. 21. & XXXIV. 14. VIII. 305.
- Jac. TAMNAVII de ΑΕΒΗΔΩΝ & ΑΕΒΙΑΔΩΝ Hefychii observatio. VIII. 694.
- Almonii UTINIS demonstratio, quod Idea electi mundi optimi à Deo removeri nequeat. VIII. 47.
- - de *aternitate mundi* possibili extrinseca expositio. VIII. 1028.
- VITARUM descriptiones. UIKONIS WALLE S. VII. 113.
- C. VITRINGAE, F. VII. 357.
- Alb. Henr. de SALENGRE. VII. 744.
- H. Hulsi VII. 897.
- P. Scalichii. VII. 1027.
- Wilh. Gnaphæi, VIII. 111.
- Rudolph. GUALTHERI VIII. 660.
- Godofr. Sopingii. VIII. 703.
- Jo. SIBRANDA VII. 953
- Ph. OUZELII. VIII. 990.
- C. VITRINGAE, ad OUZELIUM, qua sententiæ ejus de *accentuatione Ebraeorum* exhibetur. VIII. 918.
- Nicol. WESTERMANNI Elogi-

Elogium *Philippi Ouzelii* Theologi Francof. propter Ode-ram, VIII. 900.

Nova Historico Theologi-
co-Literaria, VII. 166.
734.

WILHELMI VI. Land-
gravii Hassiæ ad Regem
Sueciæ de mutatione
religionis in quibusdam
vicis Ducatus Bremen-
sis instituta Epistola.
VII. 948.

Continuatio catalogi li-
brorum à Protestantibus,
præcipuè à Reformatis
nuper vel editorum vel
recusorum,

Latinè VII. 1082.

Belgicè VII. 757.

Gallicè VII. 373.

Anglicè VII. 367.

B.
I N D E X

Alter scriptorum veterum five
Gentilium, five Christianorum, qui
in Tomis V. VI. VII. VIII. illustran-
tur, notantur, emendantur,
& defenduntur.

Alianus illustr. V. 60.

Arrianus in periplo emen-
datus & illustratus VI.
189. sqq.

Aeschylus illustratus.
VI. 349.

Alexandrini. v. Septuagin-
ta interpretes.

Bremense statutum illustr.
VI. 173.

Aristophanes illustr. VIII.
943.

Censorinus defenditur, V.
22.

Aristoteles illustr. VII. 58.

Demosthenes illustr. VI. 85.

Arriano lux VI. 93. VII.
246.

Diodoro Tarsensi liber
Aaaa 3 quæst.

- quæst. ad *Orthod.* vindicatur V. 659. sqq.
- Diodorus Sicutus* illustr. VI. 216.
- Epiphani* verba excutuntur. V. 269. illustrantur VIII. 496.
- Euripides* emend. VI. 89. explic. VI. 91.
- Eusebius* contra Hieroclem explicatus, V. 246.
- Eusebius* de nominibus *Ebraicis* emendatur. VII. 356. restituitur. VII. 385.
- Eutropius* explicatur V. 277.
- Heliodorus* explicatur, V. 866.
- HERODOTI** locus defensus: VII. 509.
- Hesychius* explicatus & tentatus. VI. 1039. 1040. VII. 354. 380. emendatus VII. 778. correctus, VII. 959. 961. 962. explicatur. VII. 960. 965. VIII. 774.
- HESYCHII** insignis locus explicatus; VIII. 339. sqq. 694. sqq.
- HESYCHIUS** plurimis in locis emendatus & illustratus VIII. 149. 350. sqq.
- Hierocles* illustratus, VI. 69.
- Homerus* emendatus & illustr. VI. 88. illustr. VI. 97. explic. V. 428. VII. 239. 246.
- Inscriptio* vetus apud *Gruterum* illustr. V. 675. apud *Sponium*, V. 673. 676.
- Iosephus* illustr. V. 1007. num reticuerit infanticidium *Herodis*. III. 0.
- Isidorus* *Pelusiota* explicatus & defensus, V. 239. sqq.
- Isocrati* lux, V. 60.
- Quis auctor sit, libri *quæstionum ad Orthodoxos*, qui *Justino M.* adscribitur, V. 656.
- Juvenalis* explicatur. VIII. 741.
- Lactantii* loca in libro de mortibus persecut: aliusque in libro de divinis instit. collata & illustrata V. 257.
- Lucianus* illustratus, V. 582. VI. 331. 322.
- Lycophron* illustratus VI. 64. 65. 305. sqq.
- Mæris* *Atticista* notatur VIII. 155.
- Moschopilus* emendatur VIII. 151.
- Origenes* conciliatur V. 481.
- Palephatus* illustratus & emendatus VI. 54. sqq.
- Per-

- Persii* Sat. I. 92. sqq. illustrata VII. 743.
- Phavorinus* emendatur. VII. 962.
- Philostratus* illustr. V. 2241. VIII. 311.
- Philoxeni* glossæ corriguntur. VIII. 151.
- Photius* in epistolis emendatus. VII. 969.
- Polybius* illustratus VI. 42.
- Plato* illustr. VI. 99. VII. 58.
- Plinii* lectio defensa, V. 286. 796. sqq.
- Sappho* emendata VII. 76.
- Seneca* illustr. V. 63.
- Septuaginta* interpretes. Eorum versio defenditur V. 565. sq. emendatur & adstruitur, 598. defenditur VII. 777. sqq. 811.
- Sophocles* illustratus VI. 35.
- SUIDAE* locus in Βηρυτιον fuse illustratus VI. 169.
- sqq. emendatus VII. 962. restitutus. VIII. 40. defensio; VIII. 744.
- Symmachi* versio explicatur & rejicitur V. 572. defenditur V. 599.
- Syncellus* Chron. tentatur VIII. 697.
- Syrus* interpres notatus, 267. defensio, 286. sqq. 794. sqq.
- Theocritus* emend. & illustr. VI. 91. VIII. 161.
- Theognides* illustr. VI. 1065.
- Theophrastus* ill. VII. 58.
- Thomas* Magister corrigitur, VII. 813.
- Thucydides* illustr. VIII. 958.
- Victor* Aurelius, ridiculus ejus error V. 277.
- Virgilius* illustratus, V. 589. VI. 307. defensio; VIII. 769.
- Xenophon* illustr. VI. 90. 97.

INDEX

Tertius vocum Ebraicarum, & ex linguis vicinis, quæ Tomis VII. & VIII. illustrantur, & explicantur.

- | | |
|--|---|
| א cum ע permutatur VIII. 732. | א ו א ב פ ל VIII. 109. |
| אדכרון : VIII. 623. sq. | הדה VII. 354. |
| אחש : VIII. 568. | חלמש VIII. 103. |
| אכל est <i>potius</i> est. VIII. 825. | חנמל : VII. 795. |
| אסתר : VIII. 721. | חסיל. VII. 787. |
| אסתהר : VIII. 719. | חרש & חרץ, VII. 822. |
| א præfixum est idem ac <i>ααα</i> , juxta VIII. 370. | ירכתי VII. 611. |
| אצץ ביה VII. 355. | כור VIII. 98. |
| ברא VIII. 138. 199. 1049. | כחל, כחלה VIII. 793. |
| ברית, VIII. 139. | כנף שקוצים VIII. 374. |
| בשר ודם : VII. 920. | מאר : VIII. 992. |
| נבה : VIII. 991. | מנן. VIII. 777. |
| נזם : VII. 784. | מנחם : VIII. 849. |
| ר & ד sæpe permutantur VII. 821. | מקוה VII. 507. |
| רנ unde? VIII. 144. | משך : VII. 492. |
| דרכון, דרכמן : VIII. 623. | נב & נב VIII. 866. |
| השאל est <i>donavit</i> , VII. 629. | נביאים : VIII. 866. |
| זקף notat <i>tollere</i> , sed & <i>suspendere</i> : VIII. 1008. | נופך : VIII. 797. |
| זקיפה : VIII. 1009. | נשא : VIII. 989. pro <i>suspendio</i> : VIII. 1017. |
| | סדר habet notionem <i>In-
minis</i> VIII. 713. |
| | סתר VIII. 720. |
| | סלק VIII. 1016. |
| | ע cum א sæpe permutatur. VIII. 732. |

עין יין VII. 349. fq.	רום: VIII. 988. 1016.
עין חרה: VII. 354.	sumitur pro <i>suspensio</i>
עלה: pro <i>mori</i> VIII.	VIII. 2017. pro violenta
1016.	sublacione; VIII.
עליל VIII. 97.	1018.
עשתרות: VIII. 731.	רעש: VII. 468.
464.	רתם VII. 856. fqq.
פוח: VIII. 792.	שאל, est <i>petiit</i> ; VII.
פוך: VIII. 792. fqq.	629.
פלומין: VII. 506.	שועלים: VIII. 808.
פרושים VII. 429.	שחל: VIII. 102.
צרידא: VIII. 793.	שהע: VIII. 102.
צלצל notat <i>ruginem</i>	שהצימה VII. 352.
VII. 795.	שכל VIII. 987.
צנה: VIII. 777.	שמים <i>eius vocis etymon</i> ,
צפון VII. 608.	VIII. 127.
צרידא: VIII. 793.	שעירים; 307. fqq.
קי notat <i>lineam</i> VIII.	שחר <i>habet notionem lu-</i>
495.	<i>minis & splendoris</i> VIII.
Gens קו קו VII. 485. fqq.	713. fqq.
קיואין, VII. 504.	תו an <i>signum crucis</i> VIII.
קלי. VIII. 423.	141.
קראה est <i>voluptate frui</i>	תרוש VIII. 777.
VIII. 207.	חרשיש: VIII. 79. fqq.
רוח קדים VII. 642.	

(1078) & O
I N D E X

Quartus

Locorum S. scripturæ, quæ in
 classibus VII. & VIII. illu-
 strantur, atque expli-
 cantur.

NB. Literæ majusculæ indicant loca
 ex professo tractari.

